DE JUSTITIA ROMANARUM LEGUM

Libri duo:

In quibus primùm Ius Civile à communis scholæ calumnijs vindicatur.

Auctore

JACOBO MÆSTERTIO
Jurisconsulto.



LUGDUNI BATAVORUM,
Ex officina JOANNIS MAIRE.
clↄ Iↄc XXXIV.

Ariſtot. 1. Eth. 4.

Ἀμφοῖν γὰρ ὄντοιν φίλοιν ὅσιον προτιμᾶν τὴν ἀλήθειαν.

Illustrissimis Potentissimis-que

HOLLANDIÆ WEST-FRISIÆQUÆ ORDINIBUS.

NATURA hominum dictu mirum est, quantâ dissentiendi libidine agitetur, invidia namque, vel ardor vanæ gloriæ cum quemquam invasit, nihil unquam tam verè constitutum fuit, quod ab hâc corruptelâ non facile contaminetur. Hinc suâ mole laborabat Jurisprudentia cum ad ter centena usque versuum millia Imperatore Justiniano

excrevisset, hinc temporibus nostris cum non versuum sed infinitâ librorum & voluminum multitudine gravata: non tam laborare, quam ruere videtur, illam non dico neminem capessere: sed cum excellentis ingenii viro Jacobo Cuiacio singulas ætates vix singulos Jurisconsultos ferre, & si ferant: nullum sanè, qui cum Papiniano, Ulpiano, Paulo, Cæterisque ejus ordinis viris comparari possit, præcipuum est quod opinione verioris Doctrinæ ad alia præter Iuris Civilis Justinianæi (quo solum vera Iurisprudentia continetur) volumina distrahamur, Iterum ad immensam commentatorũ farraginem, quorum omnium legen-

legendis dumtaxat titulis nullius ſufficit amplius hominis vita, quid evoluendis? Quid meditandis? Romanorum etenim jura, ſpinoſam in multis ſubtilitatem, quam naturalis æquitas non agnoſcit affectare creduntur, peccata, gentilibuſque reliquiis Inquinatos tractatus fovere, ipſi ſæpe contrarios naturæ. Quæ velut arte magicâ præclaros Iuriſprudentię Interpretes hactenus ita detinuerunt ut in nullum unquam inciderim qui ſimilibus præiudiciis obcæcatam & averſam mentem non habebat. Mihi verò cum nihil Iure Civili Romanorum per omnia melius, æquius, ſanctius conſtitutum eſſe conſtet, Singula rerum capita,

quæ eius generis reprehensione laborare videbantur (spretis tamen minutiis) ad examen revocavi, quid præstiterim vestrum erit & universæ jurisperitorum scholæ Iudicium, profectò nihil me reliquisse puto unde corpus alterum, quod Canonicum dici placuit, juris nomen tueri possit, sed evicisse, barbarum illum, nullius penè rei dignæ contextum, caussam non habere aliam, quam stoliditatem, detrectandiq; studium, ut egregia me spes foveat, tandem aliquando fore: remotis ut obicibus, cum veteri scholâ de pari laude certari possit. Verùm cum hæc disputatio mea à recepta hactenus opinione recedat, proinde invisa

visa iis quibus nihil placet quam quod ab antecessoribus didicêre, aut ipsi protulerunt, aliud quidvis non ratione, sed affectu in consilium adhibito respuentes, & varii juris textus parvo licet in opere intellectui vero primum restituantur, quod invidiæ caussam dare solet, summa me ratio movet ut vestram præcipuè auctoritatem implorem. cum enim Iustitiam, qua vestrum imperium super omnia caput erigit, ita diligatis, ut eam fecistis omnino vestram : non potuit ad vos jure meritòq; nõ referri, quod pro defensione Romanarum legum quibus solis humano generi restituta fuit : conscriptum est, & vicissim benigno suscipi animo,

ut

ut quemadmodum omne ſcientiarum genus, ad ſtuporem totius univerſi, intra veſtros limites longè floreſcat, tandem incipiant præclari animi de principe ſcientia inſigniter promereri, & ita ſtatus veſter quo nullus melior quam diutiſſimè feliciter conſervari, quod faxit omnipotens qui veſtris rebus ſecundare pergat. Lugduni Batavorum anno cIↃ IↃ c xxxiv.

Illuſtriſſ. Amplit. veſt.

devotus

JACOBUS MÆSTERTIUS.

DE

DE JUSTITIA ROMANARUM LEGUM

Liber Primus.

Caput Primum.

De interpretatione legum, maximè per extensionem.

SVMMARIA.

1. *Non deficiunt leges, cum deficiunt verba,*
2. *Intellectus* l. 1. ff. de justitia & jure,
3. *Bonum & æquum, aliquid magis comprehendit quam ἐπιείκεια,*
4. *Jure Canonico nihil continetur boni, quod non etiam legibus,*
5. *Æquitas maximè in jure civili spectatur,*

6. *Intellectus* l. 1. Cod. de legibus,
7. *Intellectus* l. prospexit 12. §.1. D. qui & à quibus manu.
8. *Intellectus* l. 9. & l. final. Cod. de legibus.

LIBENTER petierim, cum dicunt interpretes, *deficiente Iure Civili standum in omni foro, expresso Iure Canonico* quando nam
1. jus civile deficere dicatur? non sanè cum deficiunt legum verba, nam restat illarum vis, ac potestas, *l. scire 17. D. de legibus*, quæ legum sententia dicitur, *l. si quis 7. §. 2. D. de jurisdictione l. nominis 6. §. 1. D. de V. S.* cum enim rerum eventus infiniti sint, non potuêre leges, ita scribi, ut omnes comprehendant, *l. jura. 8. l. neque leges 10. l. non possunt 12. D. de legibus.* proinde qui non expressè, ex vi, & sen-

tentia

tentia legis, per interpretationem æquè continentur, cuius prudentiâ, jurisperitus magis, quam illarum notitiâ, perficitur, nam ut eleganter Celsus definit, *l. 1. D. de justitia & jure*, 2.
jus est ars boni & æqui, intelligi debet facultas qua lex fertur, bonis istis, & perpetuis, cordi nostro insculptis à natura notitiis, adæquata, sive cum prima lex sit: habere legem, intelligo facultatem, qua quod pro lege servari convenit, rerum eventibus, multiplici circumstantia variis, ad æquatur, *l. fin. Cod. de constit. pecun. l. ult. Cod. ad l. falcidiam*, & Marcus Tullius in topicis, *valeat æquitas, quæ paribus in caussis, paria jura desiderat*, proinde si lex notitiis æternis conveniat, quod ipsi adæquatur, justum appellabo, hoc est bonum & æquum, si lex ab illis discrepet (qualis

tamen in jure Romano nulla est) æquum mihi, non bonum
3. erit, ideo nobilius quid piam, & excellentius, apud Latinos, per bonum & æquum, denotatur, quam apud Græcos per ἐπιείκειαν, licet aliter dixerit D. Fran. Connanus *lib. 1. comment. Iuris Civilis cap.* IX.

Ars boni & æqui cum circa leges occupatur, illas aut declarat, restringit, vel extendit, quo casu, à similibus, ad similia progreditur, non coarctando leges dispositionis formulâ, sed secundum rationis, quæ illas dictavit, limites extendendo, *l. nam ut ait 13. D. l. 5. Cod. de legibus, l. non sine 5. Cod. de bonis quæ liberis, l. quamvis 11. D. de in jus vocando, l. lex Iulia 4. D. de fundo dotali l. oratio 16. D.*
4. *de sponsalibus*, & ita Jure Canonico, nihil boni continetur, quod per hanc interpretationem,

nem, ex Romanorum legibus, elici nequit.

Nec est difficile, futilem illorum sententiam refutare, qui docent Canones, æquitatem magis, leges autem strictum jus spectasse, nam *in omnibus* 5.
quidem, maximè tamen in jure æquitas spectanda est l. in omnibus 90. D. de Reg. Iuris l. nulla 25. D. legibus, imo *placuit in omnibus rebus, præcipuam esse justitiæ, æquitatisque, quam stricti juris, rationem, l. 8. Cod. de judiciis*, quod neque latuit Marcum Tullium *lib. 3. ad heren. justitia est æquitas, jus unicuique tribuens, pro dignitate cuiusque*, contrà verò, quod *summum jus, summa iniuria, factum jam tritum sermone proverbium lib. 1. off.* idque sequendo, *sub authoritate juris scientiæ, pernitiosè* (inquit Celsus adolescens) *erratur l. si servum 91. §. 3. D. de V. O. communisque*

nisque destruitur utilitas, l. ita vulneratus 51. §. ult. D. ad l. aqui-
6. *liam*, Nec obstat, *l. 1. Cod. de legibus*, quæ interpretationem inter æquitatem, iusque interpositam, imperatori soli reservat, nam procedit, cum lex strictum jus continens, de casu emergenti, in specie clarè concepta est, qua ratione, cum nulla benigniori circumstantia, constituitur diversum quid à lege, legi nihil adæquari potest, ergo consulendus Imperator, ut ipsius legis duritiem, principali clementiâ molliat, alioquin privato veteris abolendi, novique juris constituendi facultatem, impertiremur, quod ineptum, *l. ult. Cod de legibus*, huius rei se offert specimen in *l. prospexit 12. §. 1. D. qui & à qui-*
7. *bus manumissi.* ubi notari volim, quod cum Ulpianus dicit, *quod quidem per quam durum est*, intelli-

intelligitur tempus quo vixit, & ſcripſit, non quo lata lex fuit, cum tunc urgens ratio, ſimilem extorſerit, alioquin dura, & iniuſta lex, ne quidem legis nomen mæretur, *arg. l. 2. D. de legibus*, denique non moveor per *d. l. fin. Cod. de legibus ſi enim in præſenti leges condere ſoli* 8.
Imperatori conceſſum eſt: & leges interpretari, ſolo dignum imperio eſſe oportet, nam intelligitur ſecundum *l. leges 9. Cod. eod.* cum legis ſententia, ex nullis circumſtantiis, nec reliquo ſcripturæ contextu, poteſt percipi, *l. & ideo 11. D. de legibus*, vel ſi percipi videatur: vergit ad duritiem, quam Imperatores, humanitati ſuæ, non congruam cenſent, *d. l. 9 & l. ult. Cod. ſi contra jus vel utilit.*

Cap. II.

De Nudo Pacto.

SUMMARIA.

1. *Quid pactio,*
2. *Quid pactum nudum,*
3. *Pactum nudum non producit actionem, sed tantum exceptionem,*
4. *Ratio investigatur,*
5. *Ratio non consistit in præsumptione animi non deliberati, & voluntatis, captandæ benevolentiæ,*
6. *Non in defectu συναλλάγματος, aut favore imminuendarum litium,*
7. *Non in apicibus juris veteris,*
8. *Vera ratio proponitur,*
9. *Probatur adversus interpretes, Iure Civili Romanorum, ex omni promissione, & pacto honesto, quod initum deliberato animo,*

animo, actionem, & exceptionem dari,

10. *Singularis intellectus,* l. 1. D. de pactis,

11. *Verus intellectus,* l. 10. D. de obligat. & action.

12. *Conciliatio eiusdem* l. 10. cum l. stichum 95. §. 4. D. de solut.,

13. *Verus intellectus* l. 84. §. 1. D. Reg. Juris.

14. *Genuinæ rationes, cur pactum usurarum, promissionis dotis &c. producant actionem,*

15. *Nova interpretatio* l. 27. §. 2. D. de pactis,

16. *Conciliatio eiusdem* l. 27. §. 2. cum l. 95. §. 4. D. de solut.

17. *Ratio cur donatio producat actionem,*

18. *Nova interpretatio* l. 7. §. 4. D. de pactis,

19. *Reÿcitur jus Canonicum.*

PACTIO est duorum, plu- 1.
riumve, in idem placitum

consensus, *l.1.§.2. D. de pactis* à pactione dicitur pactum, *d.l. 1.§.1.* quod cum nudum dicitur, *l.iurisgentium 7.§.4.l. divisio-*
2. *nis 45. D.eod.* est quod nudo placiti fine stat, *arg.l.si tibi 27. Cod. de locato, l. si divisionem 15. Cod. familiæ erciscundæ*, & ipsi pro-
3. prium ex iure certissimo, quod nullam producat actionem, sed tantum exceptionem, *D.l.7.§. 4.l. intra 41. l.divisionis 45. D.de pactis, l.13. l.21. Cod.eod.* cuius
4. ratio, cum sit cognitu penitus necessaria, semper interpretes, mirum in modum torsit.

5. Multis dicere placet, quod res levitate quadam, & indeliberato animo, magisque ostentandæ benevolentię, quam inducendæ obligationis gratia, à Iure Civili, gesta præsumatur, non rectè, nam eiusdem præsumptionis vigore, non posset exceptionem producere,

re, cum ubi deliberatus abeſt animus, ibi & abeſt conſenſus, ſine quo nulla ſtat conventio, *l. 1. §. 3. de pactis*, at ut producat exceptionem exiſtere debet.

D. Fran. Connanus, *lib. 1. com. cap. 6. & lib. 5. cap. 1.* rationem ponit, in defectu συναλλάγματος, ſed malè, cum depoſitum, commodatũ, mutuum &c. nullum contineant συνάλλαγμα, *arg. l. labeo 19. D. de V. S.* nec ideo minus obligationem producant, nihil quæſo replicaveris de interventu rei, cum illa, nec faciat συνάλλαγμα, nec quidquam ad productionem obligationis, nequidem in contractibus innominatis, ut ſequenti capite probabo, ideò miror D. Weſenbecium *ad tit. D. de pactis n. 9.* cum in *l. 7. §. 2. D. eod.* legit, *hoc συνάλλαγμα, id eſt contractum eſſe, & hinc naſci civilem obligationem*, ad torſionem ver-

6.

bi συνάλλαγμα confugere, nam Connano concedendum, quod ubicumque ſit συνάλλαγμα, ibi civilis obligatio datur, nec tamen inde ſequitur, quod non datur, ubi non eſt συνάλλαγμα, quod probat, & conſtitutum, cui nullatenus ſubeſt συνάλλαγμα, producit tamen obligationem, imò quod producat (ut hoc non fundetur in ſpeciali jure) facit naturalis æquitas, *l. 1 in prin. D. de conſtit. pecun.* ſi prætorem obiicias? obiiciam *l. 7. §. 7. D. de pactis*, acceptam ſcilicet ſecundum interpretes, vel petam, cur ſaltem prætor, nudis pactis, per actionem non ſubvenerit? Futilius eſt cum ait, favore imminuendarum litium, quædam eſſe relicta, hominum probitati, nec omnia ad juris neceſſitatem tracta, quoniam ex omni vera promiſſione, non dare actionem, repugnat cum æqui-
tate

tate naturali, *l. 1. D. de pactis*, & fides quam servare convenit violatur, *l. 1. D. de constit. pecun.* cum autem ideo lites exerceantur, ut naturalis æquitas servetur, non potest earundem imminuendarum gratia, naturalis æquitas violari,

Cæteri rationem in apicibus juris veteris, & spinosâ Romanorum subtilitate constituunt, secundum quam nullam actionem, nisi certam, neque ex eo negotio cui nomen deerat, institui posse docent, quod mihi ex omni parte falsum videtur, quod ad posterius attinet, sequenti capite dicam, priori, actionem *præscriptis verbis* oppono, quæ generalis, in defectum actionum, ex nominatis negotiis competentium, non à prætore, sed ab ipso Iure Civili inducta, *l. 1, 2. 3. tot. tit. D. de præscrip. verbis*, investi- 7.

gandum.

gandnm ergo restat, quid tandem illud sit, cuius ratione, nudum pactum, nequidem *præscriptis verbis* actionem producat,

8. Verùm enimverò invitis licet interpretibus, dico jure Romanorum, ex omni promissione, & pacto honesto, quod deliberato animo gestum est,
9. actionem, & exceptionẽ dari, ex eo verò quod indeliberato animo gestum est, nullo modo, cum ipsi deest consensus, *l. 1. §. 3. D. de pactis, l. sciendum 19. §. 3. D. de ædilit. edict.* ergo cum denegat actionem nudo pacto, dubitat, nec ipsi compertum, utrum promittens, deliberatum habeat animum, nam nullum συνάλλαγμα, interrogationis & responsionis, nulla solemnitas, nulla divini numinis invocatio in testem, nulla promittendi nec caussa, nec apparens

rens voluntas, cum subsint, restat sola mentis, nullo certo signo manifestatæ scrutatio, quam Deo reservat, neque fingit, aut præsumit quidquam, cum partis nihil intersit,

Veritatem positionis primæ, cum stabilire incipiam, se primùm offert Sacræ Scripturæ, cum Romano jure summus consensus, nam cùm dicit Salomon, *Proverb.* v. 1. *Fili mi, si quid spospondisti alteri, defixisti externo volas tuas: illaqueatus es verbis oris tui: captus es enuntiationibus oris tui*, imo Deus, qui nullâ constitutâ lege teneri potest, contra naturam facturus dicitur nisi præstaret quæ promisit, *Nehem. cap.* IX. *vers.* 8. *Heb.* VI. 18. & X. 23. 1. *Cor.* 1. 19. & X. 13. 1. *Thess.* V. 24. Sequitur
Ulpianus, *in l.* 1. *D. de pactis hu-* 10.
ius edicti æquitas naturalis est. quid enim tam congruum fidei humanæ,

manæ,

manæ, quam ea, quæ inter eos placuerunt servare? quæso ne restrinxeris cum interpretibus, *data exceptione tantum*, nã quod servat prætor, id tuetur, non solum exceptiones, sed & actiones dando, *l. inter 44. §. 1. D. famil. erciſ. l. 1. in princip. D. de constit. pecun.* imo, si ea, quæ inter homines placuerunt, tantum per exceptionem servarentur, ineptissimũ foret prætoris edictum, cum subsit proximior exceptioni, quam edictum caussa, cuius vi, legitimum sortitur effectum, quam mox declarabo, ergo quidquid inter homines placuit, *D. l. 1. in princip. l. 7. §. 7. D. de pactis*, & ex consensu factum, *l. 1. in princip. D. de constit. pecun.* propter naturalem æquitatem, & ut fides servetur, exceptionem, & actionem jure Romanorum producit, quo
11. pertinet textus in *l. naturalis 10.*

D. de

D. de oblig. & action. l. 16. §. 4. D. de fideiuss. nam cum ait, *naturales obligationes non eo solo æstimantur, si actio aliqua eorum nomine competit, verumetiam eo, si soluta pecunia repeti nō possit.* sensus est, omnis obligationis nomine, cui subest naturalis æquitas, & actio, & exceptio, Jure Civili competit, velim tamen subintelligi secundum *l. ius civile 6. in princip. D. de Iustitia & Iure* ni subsit circumstantia, quæ ex firmiori ratione, virtutem civilem elidit, novisque subjacere facit Iuris Regulis, ut in contractu pupilli minor ætas, variis exposita circumventionibus, *l. stichum 95. §. 4. D. de solut.* 12. & in eo quod hæreditati debetur, ex testamento minus solemni, contemptus, vel neglectus eorum, quæ civilis ratio postulat *l. 1. §. 17. D. ad l. falcidiam* & ita porrò, præter *D. l. 10.* fir-

10. firmat & hoc Paulus in *l.*
13. *cum amplius 84.* §. *1. D. de Reg. Juris*, cum inquit, *is natura debet quem jure gentium dare oportet, cuius fidem secuti sumus*, nam cum verbum *oportet* denotet necessitatem, is cum effectu exactionis conveniri potest, quem jure gentium dare oportet, qualis est, *cuius fidem secuti sumus*,
14. Alterius positionis veritatem, evincunt intellectus, illorum juris textuum, quos cum allegant interpretes, tanquam exceptiones, à regula nudi pacti, nullus aut parum aptas exceptionũ rationes constituunt, confugientes sæpius, ad speciales casus, & *l. non omnium D. de legibus*,

Et quidem in nominatis negotiis, tam propter συνάλλαγμα quam caussam, quibus deliberata mens penitus exprimitur, res expedita est, ut & in pacto incon-

incontinenti adiecto contractui *D.l.7.§. quinimo D.de pactis l. in bonæ fidei 13.Cod.eod.* tanquam negotii principalis parte, forma, & lege, *l.si sterilis 21.§.4. D de act.empti l.fundi partem 79.D.de contrah.empt. l. contractus 23. D. de Reg. Iuris*, in jurato pacto, deliberatum evincit animum, invocatio Dei vivi in testem, quæ non nisi seriò fieri reputatur, ut interrogatio, illamque secuta responsio congrua, in stipulatione, nec eundem manifestat minus pactum usurarum in *l.7. D. de nautico fœnore l. 30. D. de usuris l. frumenti 12. Cod. eod. Novell. 136. cap.4.* idque propter caussam, intelligo compensationẽ eius quod interest, quod autem, ob eandem rationem, similis juris tenor non obtineat, extra præfatos casus, in omni usurarum pacto, facit eadem civilis consideratio, quæ stipulationem ipsam usurarum, certis limitibus circumscripsit *l.eos 26.Cod. de usu-*

de uſuris, ſic cauſſam continet, nuptias ſcilicet, promiſſio dotis *l. ad exactionem 6. Cod. de dotis promiſſione*, conſtitutum continet præcedens debitum, quia retrorſum ſe actio refert *l. item illa. 18. §. 1. D. de conſtit. pecun.* hypotheca priorem obligationem *l. 1. D. de pignorat. actione. §. item Serviana inſtit. de actionibus* ut & pactum de petendo eo, ſuper quo conventum erat ne peteretur *l. ſi unus 27. §. 2. D. de*
15. *pactis* nam prius pactum per poſterius eliditur: *non quidem ipſo jure, ſicut tollitur ſtipulatio, per ſtipulationem, ſi hoc actum eſt*, quia ordinata interrogatio, & ſubſecuta reſponſio, deliberatum fuiſſe promittentis animum evincunt, proinde *in ſtipulationibus jus continetur, at in pactis factum verſatur*, hoc eſt non niſi factum, ob dubium num deliberatus animus ſubſit, verùm

verùm cum ſubeſſe conſtat, propter cauſſam, fortè præcedentem obligationem, ſupervenit ipſum jus, quod tamen tollere non poteſt actionem priorem ipſo jure, quum ad id requiritur genuina, & innata, à primo momento potentia, quæ in pactis non reperitur niſi juſta ſint, hoc eſt, ita ab initio jure ſubnixa ob omnimodam animi deliberationem *l. ſtichum 95. §.4. D. de ſolut.* citra 16.
quam nullus, aut jurare, aut de actione injuriarum, vel furti, paciſci, præſumi poteſt *l. ſi tibi 17. §.1. D. de pactis*, Reſtat do- 17.
natio, quæ cum in dubio non præſumitur, expreſſam donandi, & benefaciendi voluntatem, pro cauſsâ habet, *l. 35. Cod. de donat. §.2. inſtit. eod. nihil enim tam conveniens naturali æquitati, quam voluntatem domini volentis rem ſuam in alium transferre, ra-*

tam

tam haberi §. per traditionem in-stit. de rerum divisione,

18. Nunc appatet, quid Ulpianus in *D.l.7.§.4. D.de pactis* sibi voluerit, cum inquit, *sed cum nulla subest caussa propter conventionem*, scilicet, cum nihil, ulla ratione, subesse dignoscitur, *propter conventionem*, hoc est, cuius vi ex diversis animi motibus, in unam sententiam, certam, & deliberatam, decursus posset apparere *l.1.§.3.D.de pactis hic constat non posse constitui obligationem, igitur nuda pactio obligationem non parit* subiungit Ulpianus, *sed parit exceptionem* concursu scilicet caussæ, negotio proximioris, cuius vigore deliberatus animus manifestatur, ut Ecce: si tibi fecerim, pactum de donando, non habes actionem, quia sicuti pactum de dividendo, permutãdo &c. non est divisio, permutatio, ita pactum

pactum de donando, non est donatio, nec habes exceptionem, cum nihil acceperis, neque meâ quid interest, cuius gratia possem agere, exceptio autem est actionis exclusio *l.2. in princip. D. de exception.* si dederim, cur ages? Si repetam, rectè excipis de pacto, quoniam actus dationis, deliberatam fuisse mentem paciscentis, juri declaravit, simile judicium est, cum quidem actus non intervenit, sed æquipollens quoddam, virtute cujusdam caussæ quæ subest, ut cui fit pactum de non petendo, præsens detentio *l. si unus 27.§.pactus D. de pactis* aut inter quos hereditatis divisio: fundi possessio *l. cum proponas 21.Cod.de pactis*,

His ita deductis, nemo non 19. videt, quam ineptè à tenore juris Romanorum, dissentiat, ex communi Doctorum sententia,

jus

jus Canonicum, in *cap.1.& 3. ext. de pactis arg.Can. juramenti 22. q.5.* cum ex nudo pacto decernit actionem, nam si subsit indeliberatus animus, non est consensus per consequens nulla conventio *D.l.1.§.3. D.de pactis, l.sciendum 19.§.3. D. de ædilit. edict. cap. si cautio ext. de fide instrument.* si deliberatus, ille non judici, sed soli Deo apparet, debet ergo jus Canonicum, deliberatam esse mentem præsumere, iterum absurdè, cum rarissimè id contingat *arg.§.1.vers.cæterum instit.de militari testam.* quid enim rarius, quam ubi nulla voluntas expressa donandi, nulla caussa, nullum alterius interesse, nulla circumstantia serii negotii, velle teneri? Aliquidve dici promisisse, cum nihil minus cogitaretur? Cum ergo totius justitiæ tenor, doctrinæ Canonum repugnet, mirum est, clarissimos viros credere, illam per mores nostros (qui tamen hoc casu

nihil

nihil à justitiâ deviant) observari.

CAP. III.

De contractibus innominatis.

SVMMARIA.

1. *Sententia Doctorũ super contractibus innominatis refertur,*
2. *Innominati contractus, ante ullam dationem, aut factum, jure conventionis obligationem pariunt,*
3. *Verus intellectus* l. dedi. tibi 3. §. quinimo 4. D. de condictione caussa data
4. *Genuinus intellectus* l. 7. §. 2. D. de pactis.
5. *Intellectus* l. Iulianus 13. §. offerri D. de actionibus empti.
6. *In contractibus innominatis, & ante, & post dationem, pœnitere licet,*

7. *Pœnitentia nihil obest, quo minus ipsa conventione producant obligationem,*

8. *Nova ratio cur in contractibus innominatis (non tamen omnibus) sit locus pœnitentiæ, non autem in nominatis etiam non omnibus,*

9. *Intellectus* l. quamvis 39. Cod. de transact.

10. *Nova interpretatio* l. 1. §. 2. D. de rerum permutat.

11. *Intellectus* l. 3. & 4. Cod. de rerum permutat.

12. *Vera interpretatio* l. 7. §. 1. D. de pactis,

13. *Novus intellectus* l. naturalis 5. §. 2. D. de præscriptis verbis,

14. *Vera differentia, inter contractus nominatos & innominatos ex* l. 1. §. 2. D. de rerum permutat.

15. *Intellectus* l. 1. §. 4. D. de rerum permutat.

16. *Con-*

16. *Conciliatio* d.l. 1. §.4. cum l. 5. §. 1. D. de præſcriptis verbis.

CONTENDIT D. Card. Mantica *lib. 1. de tacitis & ambiguis conventionibus tit. 8. n. 17. & ſeqq.* poſt alios ab ipſo citatos, Jure Canonico, ex æquitate, in contractibus innominatis, nullum eſſe pœnitentiæ locum. Semper docuit universa ſchola, illorum doctrinam penè totam, ex ſpinosâ Romanorum ſubtilitate promanare, quam proinde notat, & pungit, plaudens, quod à foro noſtro, quod magis æquitatem ſequitur, exulet. 1.

Etenim, cum ſuperiori capite dixerim, totiens jus civile Romanorum, actionem, & exceptionem dare, quotiens, inter aliquos, deliberato animo quid placuit, idque propter natura-

 lem

lem æquitatem, & ut fides ſervetur, interpretum bonâ pace, dicam, contractus innominatos,
2. ante ullam dationem, aut factum, jure conventionis, obligationem parere, textus eſt *in*
3. *l. dedi tibi 3. §. quinimo 4. D. de condictione cauſſa data*, ſi dixeris interitum ſpeciei, qui debitorem liberat, pro datione, aut præſtatione cedere, res conclamata eſt, nam ut debitor liberetur, & ultrò ipſi condictio competat, ante interitum, etſi alter nihil dederit, tenebatur, ſanè non alio jure quam conventionis, qua quod placuit, nihil tam conveniens humanæ fidei, quam ſervare *l. 1. in princip. D. de pactis*, deciſionis funda-
4. mentum eſt in *l. 7. §. 2. D. de pactis*, ubi Ulpianus, *ſed etſi in alium contractum res non tranſeat, ſubſit tamen cauſſa: eleganter Ariſto celſo reſpondit, eſſe obligationem*, nam cauſſa,

caussa, respectus est mutuæ dationis, vel præstationis, cuius ratione, deliberatus animus dignoscitur, cave dixeris cum interpretibus, caussam hic esse, dationem, aut factum, quia ut datio, aut factum, producat obligationem, nullam requirit conventionem *l. jure naturæ 206. D. de Reg. Iuris tot. tit. D. de condictione indebiti*, sed hic caussa respicit conventionem *D. l. 7. §. 4. sed cum nulla subest caußa propter conventionem &c.* cujus complementum datio, & factum, ut in emptione venditione, traditio rei, & numeratio pretii, quæ tamen ad constitutionem obligationis non requiruntur. Sanè datio tua, me ad aliquid certi faciendum, si nihil convenerit, obligare non potest, sin obliger? Debuit inter nos convenisse, ut tu dares, ego verò quid faciam, ergo conventio, in respectu mutuæ præstationis, caussa est obligationis, cuius gratia datur,

& fit, & Aristo rectè *συνάλλαγμα* dixit, quod cum partes æquâ lance teneat, ex complemento unius, constitui non potest, ergo ex conventione utriusque, alioqui etiam illud implementum, quod est effectus obligationis (dedisti enim quia conventione te ad dandum obligaveras) facis eiusdem obligationis caussam, quod ineptum,

Nec est quod aliquem moneat quod in *d.l.7.§.2.* subiungit Ulpianus, *ut puta dedi tibi rem, ut mihi aliam dares: dedi ut aliquid facias:* nam id determinat plenam exactionis virtutem, secundum omnimodam negotiorũ perfectionem, postquam obligationem, jure conventionis produxerint, in quam rem egregius est textus *in l. Ju-*
5. *lianus 13.§ offerri D. de actionibus empti. offerri pretium ab emptore debet cum ex empto agitur, & ideo*

si pretii

si pretii partem offerat nondum est ex empto actio, at emptio venditio, producit obligationem, jure conventionis? *d.l.7.§.1.D.de pactis l. consensu 2. D. de obligat. & action. princip.instit.de emptione venditione*, ergo *nondum est ex empto actio* secundum plenam exactionis virtutem, ut alter scilicet compleat, quod suarum est partium, cuius ratione, perpetuum est in jure nostro, ut vix fiat alicuius actionis, etiam ex negotio nominato, mentio, quin supponat, actricem partem, contractui satisfecisse,

Nihil obstat, quod in contractibus innominatis (sanè non omnibus) tibi liceat ante dationem pœnitere, nam & post dationem tibi pœnitere licet *l.si pecuniam 5.in princip.l.dedi.tibi 3. §.3. D. de condictione caussa data*, nec inde sequitur negotium, ante dationem non produxisse 7. 6.

obligationem, cum indemnitas mihi præstatur eius, quod expendi *D.l.5. in fine principij* imo si pœnitendi facultas, obligationem impediret, neque societas *§. manet instit. de societate* neque mandatum *l. si vero non remunerandi 12. §. penult. D. mandati §. rectè instit. eod.* neque precarium *l. 1. D. de precario* neque depositum, obligationem pro-
8. ducerent, quod absurdum, sed ideo pœnitere licet, quoniam factum meum, non æquè principali, firmoque jure stat, quo datio tua, sed habet se, per modum consequentis, nam das ut faciam, ergo si tua iam magis intersit non fieri, quam fieri, quid mirum, quod cum factum meum, non pari jure, sed per consequentis modum se habeat, à negotio resilire possis? Solvendo tamen, jure conventionis, quod mea interest *D.l.*

5. *in fine princip.* ſic opera mandatarii, cuſtodiâ depoſitarii, facultas utendi eius qui precario accepit, conſequentiæ ſunt deſiderii, benevolentiæque meæ, quæ nullo pacto coarctata, cum deficiunt, par eſt, & contractus corruere, ſocietati verò, quiſque renuntiat, quia diſcordias communio parit, quas reſpublica ferre nequit *l. ult. D. commun. divid.* verùm in cæteris negotiis, ex ratione contraria, contrarium dicimus, nam in emptione venditione, ſimul atque de pretio convenerit, nemini licet invita parte pœnitere, cum non magis emptoris, quam venditoris gratia, & contra cenſeatur celebratus cõtractus, hinc apparet ſententia *l. quamvis 39. Cod. de tranſact.* nam cum 9. tranſactio nullo dato, vel retento, ſeu promiſſo, minimè procedat, *l. 38. Cod. eod.* utriuſ-

que gratia celebratur, turbat autem interpretes, cum ſit contractus innominatus,

10. Falleris, ſi me putas offendi per *l.1.§.2.D.de rerum permutat.* nam cum ait Paulus, *item emptio venditio, nuda conſentientium voluntate contrahitur.* Senſus eſt, quod, ſimul atque de pretio convenerit, ex nudo contrahentium conſenſu, cōſtituatur emptio venditio, ſecundum omnem contractus perfectionem, *inſtit. de empt. & vend. in princip.* pergit Paulus *permutatio autem ex re tradita initium obligationi præbet* obligationi non quæ contrahitur jure conventionis, ſed quæ eſt ſecundum ultimam permutationis perfectionem, quæ ſine mutuâ rerum, & quidem propriarum *d.l.1.§.3.* traditione non conſtituitur, *arg.l.ſciendum 19. §. penult. D. de ædilit. edict.* quod & evincit nominis ratio, nam

nam permutatio est *mutuò* sive invicem, *datio*, idque *per*, hoc est, ultrò citròque, neque vera dicetur permutatio, si postquam mecum de permutandis equis conveneris, ego tibi meum tradiderim, & tibi traditionem tui remiserim, erit tamen emptio vera: (exclusa fraude) si postquam tibi vendiderim, & tradiderim fundum, numerationem pretii remiserim, nec urget, quod ait textus, *ex re tradita* non ex rebus traditis, quia subdit *initium obligationi præbet*, non quod secundum plenam perfectionem absolvat, *alioquin, si res nondum tradita sit, nudo consensu, constitui obligationem dicemus*, hoc est, nequidem erit initium obligationis, secundum perfectionem plenam, ergo dici non potest, quod nudo consensu constituatur, *quod in his dumtaxat receptum est quæ nomen suum habent ut in emptione venditione, conductione, mandato*, rectè quæ no-

men suum habent, nam non solum permutatio, ad sui plenam perfectionem, rerum traditionem requirit, sed omnes contractus, qui non habent nomen, non enim est *do ut facias*, si nihil detur, *in his dumtaxat* non tamen omnibus *tot. tit. instit. quibus modis re contrahitur obligatio*, cum etiam illi re dicantur perfici, sicut contractus innominati, secundum plenam eorum perfectionem, secundum quam non requirunt alterius etiam præstationem, cum illa se habeat per modum consequentis, ut supra docui;

11. Neque moveor per *l.3. Cod. de rerum permutat.* ubi aiunt Impp. Dioclet. & Maxim. *Ex placito permutationis, nulla re secuta, constat nemini actionem competere, nisi stipulatio subiecta, ex verborum obligatione quæsierit partibus actionem* nam placitum per-

permutationis, non est hic permutatio, nequidem, ut constituitur jure conventionis, sed tractatus, nudum pactum, quod ob dubium deliberati animi, nullam producit obligationem, quod probant sequentia verba *nisi stipulatio subiecta*, ratio est, quoniam illa deliberatum animum juri manifestat, ut etiam facit traditio rei, *l. cum precibus 4. Cod. eod.* cuius gratia præscriptis verbis est actio,

Ad *l. 7. §. 1. D. de pactis*, cum ait *quæ pariunt actiones in suo nomine non stant, sed transeunt in proprium nomen contractus: ut emptio venditio &c.* Respondeo quod quæ pariunt actiones, tales sint in primis, quæ in nomine suo non stant, nam paragrapho sequenti subiungit, *sed et si in alium contractum res non transeat &c.* neque sine gravi ratione initio *d. l. 7. §. 1.* tam indefinitè 12.

nitè

nitè, loquitur Jurisconsultus, nam illæ conventiones nobiliorem quandã producunt actionem, cum sit secundum nomen proprium, in quod transeunt, ut emptio venditio, actionem empti venditi, locatio conductio, locati conducti, societas, pro socio, commodatum, commodati, depositum, depositi, &c. quæ verò non transeunt in proprium nomen contractus, pariunt actionem præscriptis verbis *tot. tit. D. de præscriptis verbis*,

13. Non est, quod aliquem, in posterum torqueat *l. naturalis 5. §. 3. D. de præscriptis verbis*, nam cum ait, *quod si faciam, ut des: & posteaquam feci, cessas dare: nulla erit civilis actio: & ideo de dolo dabitur*, nam ibi fecerat quisquam aliquid, ut alter daret, citra tamen ullam conventionem, idque sciente eo qui daret,

ret, & ſimulante ſe velle dare, quam primum prior feciſſet, quo caſu cum deficiat actio, quæ ex quacumque conventione reſultaret, neque tamen, ſit æquum, quemquam ad illum modum ludificari, ſola reſtat actio doli *l.1.§.4. D. de dolo malo*,

Non ergo minus innominati contractus, jure conventionis, obligationem pariunt, quam nominati, quamvis ad virtutem exactionis, citra complementum actricis partis, nulla ſufficiat, neque quod admittant aliqui pœnitentiam, aliqui non, id à nomine, nulla ratione promanat, reſtat tamen in *d.l.1.§. 2 D. de rerum permutat.* Hæc dif- 14.
ferentia, quod in nominatis (non tamen omnibus) conventio conſtituat obligationem, ſecundum plenam negotii perfectionem, non in innominatis, &
hinc

hinc petenda decisio *d.l.1.* §.*4.*
D.de rerum permutat. nam cum
15. ait *igitur ex altera parte traditione facta, si alter rem nolit tradere: non in hoc agemus, ut interest nostra, illam rem accepisse, de qua convenit: sed ut res contra nobis reddatur, condictioni locus est, quasi re non secuta* non in hoc agemus, scilicet necessariò, nam agere possumus ad interesse *l.naturalis 5.* §. *1. D. de præ-*
16. *scriptis verbis* sed id minus est, quam facultatem præbere, per condictionem caussa data caussa non secuta, conventionem penitus dirimendi, condictio vero competit, non quod in permutatione altero invito liceat pœnitere (ut malè ad hunc locum notavit Gothofredus) sed quia alter dare non vult, & negotium ad plenam perfectionem, non pervenit, nihil obstat *do ut facias &c.* secundum ple-
nam

nam perfectionem unius datione poni, & tamen condictionem competere *tot. tit. de condictione caussa data* nam id fit, quia factum, non pari jure positum, se habet per modum consequentis,

CAP. IV.

De Transactione.

SVMMARIA.

1. *Sententia communis Scholæ proponitur,*
2. *Transactio nudo pacto inita, producit obligationem & actionem,*
3. *Intellectus* l. non minorem 20. Cod. de transact.
4. *Verus intellectus* l. 6. Cod. de transact.
5. *Sententia D. Julij Pacij refutatur.*
6. *Communis schola sibi ipsi contraria.*

7. Ge-

7. *Genuina interpretatio* l. 21. Cod. de pactis.

8. *Verus intellectus* l. sive apud 28. Cod. de transact.

9. *Intellectus & conciliatio* l. 27. in princip. D. de inoffic. testam. cum d. l. 6. Cod. de transact.

10. *Intellectus* l. 14. Cod. de transact.

11. *Intellectus* l. 3. Cod. de repud. vel abstin. heredit.

1. ET contractus innominatus est transactio, eademque ferè, quæ de illo interpretes, de hac, non minus absurdè prædicant, acerrimâ tamen contentione factâ super *l. cum mota 6. Cod. de transact.* collata cum *l. si instituta 27. in princip. D. de inoffic. testam.* variorum opiniones propriis ineptiis committo, novissimam tantum, quæ est D. Julii Pacii, salvâ eminentissimi

tiſſimi viri pace, ad examen revocabo, docet is *ad d.l.6.* quod ibi proponatur inita tranſactio non conventione nuda, ſed contractu innominato, ſic ſe ſentire fatetur quia cum *d. l. 6.* ex tranſactione, nulla ſtipulatione inita, præbeat actionem, nulla poteſt actio dari ex tranſactione inita nuda conventione, ultimum hoc admittunt omnes, illoq; poſito fundamento, Romani Juris tenorem, accuſantes de iniuſtitia, transfugiunt ad jus Canonicum quod ſecundum aliquos actionem, aliquos vero exceptionem, quam litis finitæ vocant, in hoc caſu ſuppeditat, *cap. ſtatuimus cap. contingit ext. de tranſact. cap. 1. de litiſcontest. in 6.*

Doctorum bonâ veniâ, dico tranſactionem, nudâ conventione, nudo conſenſu, & in eum ſenſum, nudo pacto initam, 2.

tam,

tam, citra ullam ſtipulationem, aut promiſſi dationem, jure civili Romanorum, obligationem, & actionem parere, nam de tranſactione, dicitur ſimpliciter, quod non minorem ha-
3. beat vim quam res iudicata *l. non minorem 20. Cod. de tranſact.* quæ producit actionem *l. miles 6 §. fin. D. de re judicata l. actori 8. Cod. de rebus creditis*, ubi diligenter velim notari, quod Imperatores Dioclet. & Maxim. in *d. l. non minorem* dicunt id rectâ ratione placuiſſe *ſiquidem nihil ita fidei congruit humanæ quam ea quæ placuerant cuſtodiri*, & in ſecunda parte legis, validitatem tranſactionis ducunt, ex deliberata mente, *cum nullum tempus ſanæ mentis maioris viginti quinque annis conſenſum repudiet*, quod omnino concordat cum Ulpiano in *l. 1. D. de pactis*, cum ait: *huius edicti æqui-*

tas

tas naturalis est quid enim tam congruum fidei humanæ quam ea, quæ inter eos placuerunt servare? ut hic nihil, cum interpretibus, spinosæ subtilitati tribuamus, sed totiens actionem, jure civili Romanorum, competere dicamus, quotiens, & consensus, & naturalis æquitas (quam omnes in transactione admittunt) patiuntur, in hunc sensum transactioni, cui fuerit subiecta stipulatio Aquiliana æquiparat Ulpianus, transactionem initam, pacto convento *l. 2. D. de transact.* & quare non? totiens enim negotium, etsi in aliud nomen non transit, producit actionem jure conventionis, quotiens subsit caussa *l. 7. §. 2. D. de pactis* quod capite superiori satis apertè probavi, sed quod à lite disceditur pro caussa habetur *l. in summa 65. §. 1. D. de condictione indebiti* quo respi-

cit etiam Alexander Imperator *in d.l.6. Cod. de transact. verum si fides placitis præstita non est : in*
4. *id quod interest, diversam partem rectè convenietis aut enim stipulatio conventioni subdita est : & ex stipulatu actio competit, aut si omissa verborum obligatio est*, & in nudis terminis conventionis consistat *utilis actio quæ præscriptis verbis rem gestam demonstrat, danda est* at dicis hic esse transactionem initam non conventione nuda, & ad eum sensum nudo pacto, sed contractu in-
5. nominato ? Respondeo contractum innominatum, ante impletam placitis fidem, ut hic fuit transactio, nihil esse quam puram conventionem, quæ ex sententia Doctorum, non producit actionem, quod tamen cum capite secundo refutavi, cessat scrupulus, qui virum doctissimum torsit, quocirca notan-

notandum, quod *d.l.6.* tantum duo constituat membra, aut enim stipulatio conventioni subdita est: & ex stipulatu actio competit, aut non est & datur actio præscriptis verbis, secundum quam rationem cum loquatur *l. cum proponas 17. Cod. de transactionibus & l. cum proponas 21. Cod. de pactis* monstrari debet à D. Pacio quomodo in illis (acceptis scilicet secundum ipsius & communem intellectum) non sit contractus innominatus, & ita cum *d.l.6.* conciliari, cæterum, ineptè penitus dixeris, emptionem venditionem, emptione venditione iniri, pari ratione contractum innominatum, contractu innominato, qualis est transactio, *arg. l.7.§.2. D. de pactis*, sed initur conventione, qua constituitur contractus innominatus, & quoniam fit super re dubia, &

lite incerta, neque finita, transactio dicitur, quæ cum celebretur per discessum à lite, vicissim aliquo dato retento vel promisso *l. 38. Cod. de transact.* & ille recessus habeatur pro caussa, *d.l. 65. §. 1. D. de condictione indebiti* quæ constituit ob-
6. ligationem *l. 7. §. 2. D. de pactis* summopere miror interpretes, etiam secundum communem intellectum *d. l. 7. §. 2.* quod non adverterint transactionem ipsa conventione, actionem parere, cum discedatur à lite (& ita ex una parte saltem præstatur) ipso momento conventionis, quo casu cunctos contractus innominatos, ad actionem efficaces esse putant, proinde mihi parum facescit negotii, quod transactio contractus, sit innominatus, cum ut dixi, discessus ipse, sit præstatio, quamvis, ut superiori capite docui, ad con-

ad constitutionem obligationis jure conventionis, nullatenus illa desideretur, verum meliori specimine videtur obstare *l cum proponas 21. Cod. de pactis* 7.
sed advertendum est, quod ibi transactio, sumatur pro nudo divisionis placito, necdum ullâ lite motâ, secundum *l. transacta 229. D. de verb. signif.* in quam rem præter alios, apertus est textus in *l. tres fratres 35. D. de pactis* imo ipsa *l. cum proponas*, nam cum ait, *& transactionis caussa probari possit hanc intercessisse conventionem*, si lis fuisset, caussa transactionis erat aperta, adeo ut in conditione, ipsius probatio non debuit poni, sensus ergo est, cum proponas inter vos successiones fratrum tuorum placuisse dividi, si probare possis, hanc intercessisse conventionem, ut controversias, & vexationes, amori fra-

terno contrarias, evitaretis &c. ideo ſubdit, *exceptione te tueri potes ſi poſſides*, rectè *ſi poſſides* nam id omnino requiritur, ad inducendum reſpectum cauſſæ animi deliberati indicem, ut capite ſecundo fuſius diſputavi,

8. Sanè te decipis cum adfers *l. ſive apud acta 28. Cod. de tranſact.* nam ait in primis, *ſive apud acta &c. tranſactio interpoſita eſt: hanc ſervari convenit*, & cum ſubiicit *nec huius rei cauſſa ſtipulationem ſecutam eſſe: quamvis ex pacto non potuit naſci actio*, ſenſus eſt quamvis nudũ pactum, ſuâ naturâ, non producat actionem, tamen ex tranſactione, nudo pacto, hoc eſt citra ſtipulationem: propoſita actione, exceptio nudi pacti, per replicationem doli, vel in factum elidetur, quare? quia iſta conventio propter litem à qua diſ-

ſceditur,

ceditur, induit naturam συναλλάγματος ut suprà dixi, & ita ad obsequium placitorum poterit adversarius urgeri, Porrò si reus detrectat adimplere quæ promisit, potest actor (si vult) ad pristinam actionem (nisi per Aquilianam stipulationem vel justum pactum sit perempta) tanquam ex mutuo consensu regredi, sic intelligo *l. si institu-* 9.
ta 27. in princip. D. de inoffic. testam. etiamsi aliquid ab una parte datum sit, sed restitutum,
l. si diversa 14. Cod. de transact. 10.
quamvis enim nuda transactionis conventio, propter caussam, quæ hic est συνάλλαγμα, producat obligationem, & actionem jure conventionis, tamen, ipso jure prius negotium tollere nequit, quia propter respectum caussæ supervenit, & accedit jus, eliciens ex ea deliberatum animum, alioquin in ipso

pacto factum versatur, sed ad elidendum aliquid ipso jure, requiritur, ut elidenti insit genuina, & innata, à primo momento potentia, non superveniens, & accedens, sed constitutiva ipsius naturam, quæ citra respectum ulteriorem deliberatam mentem prodit, idque jus dicitur in *l. si unus 27. §. pactus D. de pactis in stipulationibus autem jus continetur*, quod aliud rectè pervenit *at in pactis factum* ni & ipsa, justa sint *l. si tibi 17. §. 1. D. de pactis* de qua re dixi capite secundo,

Nunc intelligitur quid sibi velint Imperatores Dioclet. &
11. Maxim. in *l. 3. Cod. de repud. vel abstin. heredit.* nam, cum transactio, nullo dato, vel retento, vel promisso, non contrahatur *l. transactio 38. Cod. de transact.* sed gratuita litis remissio, fit donatio, *l. 18. Cod. de donat. l. 34.* *Cod.*

Cod. de transact. sequitur quod suus heres, qui gratuitò volebat transigere, nolebat tamen donare, non intellexerit, quid voluerit, ideo exceptione pacti, etiam in jure facti, cui defectu judicii deliberata mens abest, submoveri non potest.

Cap. V.

De Jurejurando.

SVMMARIA.

1. *Jusiurandum ex communi sententia, non producit Iure Civili Romanorum actionem,*
2. *Communis refutatur,*
3. *Intellectus* l. tutor 35. §. 1. D. de Iurejurando.
4. *Intellectus* l. sed etsi 25. D. de Iurejurando.
5. *Intellectus* l. stichum 95. §. 4. D. de solut.
6. *Intellectus* l. 7. §. 16. D. de pactis.

7. *Intellectus* l. si quis pro eo 56. in princip. D. de fideiussoribus.

8. *Intellectus D. Cuiacij ad illam legem refuta*[illegible]*r*.

9. *Intellectus* l. non solum 11. §. 1. D. de iniuriis & l. 1. vers. quod si exstat Cod. de naturalibus liberis.

Communis interpretum habet opinio, quod Iusiurandum Civili Romanorum
1. Iure, nullam actionem producit à qua cum dissentit D. Math. Wesenbecius *ad tit. D. de jurejurando n. 5. & 13.* reprehenditur à D. Rheinh. Bachovio in *notis ad Treutlerum disput. 21. thes. 2. lit. a.* qui post authorem suum lectores mittit ad D. Jacobum Cuiacium *lib. 22. obs. 7. & parat. Cod. h. t.* tanquam de communi doctrinâ benè meritum.

2. Verùm, præterquam hæc opinio

opinio vulgata, Romanæ Iuriſprudentiæ, egregiam impietatem affingit, abſurda mihi videtur, nam, ut ſupra docui, totiens Iure Civili, ex omni licitâ promiſſione, competit actio, quotiens deliberatus adeſt animus, quia fidem ſecuti ſumus *l. cum amplius 84. §. 1. D. de Reg. Juris.* quam grave eſt fallere *l. 1. in princip. D. de conſtituta pecunia* at promittit deliberato animo qui Deum vivum in teſtem vocat, quæ cauſſa eſt propter conventionem, ideoque conſtat obligationem conſtitui *arg. l. juriſgentium 7. § 4. D. de pactis*, ipſa ſtipulatio num producat actionem, ridiculum eſt dubitare, ſed adhuc magis adſtringit fidem juſiurandum, vel teſte M. Tullio *L. 3. off.* *nullum*, inquit, *vinculum ad adſtringendam fidem jurejurando majores arctius eſſe voluerunt* producit & actionem tranſactio *l. 6. Cod. eod. tot. ſup. cap.* res iudicata *l. actori 8.*

Cod. de rebus creditis ſed *juſiurandum, ſpeciem tranſactionis continet, maioremque habet auctoritatem, quam res judicata l.2. D. de Iurejurando*, ita qui poſtulante adverſario juravit ſibi deberi pecuniam, acquirit actionem, non propter debitum, cum de illo nihil amplius quæritur, ſed ſolum juſiurandum §. *item ſi quis 11. inſtit. de action. l. non erit 5. §. dato l. 9. §. 1. de jurejurando*, proinde erroneum eſt, quod ait D. Jac. Cuiacius juſiurandum jure populi Romani, non habere maiorem vim, quam nudum
3. pactum *l. tutor 35. §. 1. D. de jurejurando* cum pactum conventũ, non ibi ſignificet pactum nudum, ſed tale, cuius vi, non prodigus, agere vel excipere poſſet, quod evincit ſolutio, quam Iuriſconſultus annectit, quaſi dicat, prodigus non poteſt juſiurandum deferre, quia non

non poteſt contrahere, neque ſolvere, juſiurandum verò non habet minorem vim, quam eorum quodlibet, neque minus juvat opinionem noſtram *l. ſed* 4.
etſi ſervus 25. D. de jurejurando, nam cum ait, *puto dandam mihi actionem vel pacti exceptionem, propter religionem, & conventionem*, ſenſus eſt, actionem propter religionem, pacti vero exceptionem propter conventionem, nec obſtat *l ſtichum 95. §.* 5.
4. D. de ſolut. nam loquitur de pacto quod ipſo jure tollit actionem quod ſanè non eſt pactum nudum *l. ſi unus 27. §. pactus D. de pactis* ideo juſtum vocat, ſcilicet, in quo jus continetur, non in quo factum verſatur, ut latius *cap. 2.* diſputavi, neque *l. juriſgentium 7. §. genera-* 6.
liter 16. D. de pactis quia ad ſummam redigit, quod aliquibus paragraphis præcedentibus

dixerat, ut quotiens pactum, quod à jure communi remotum est, scilicet propter turpitudinem, aut aliam caussam legi contrariam, hoc non servetur, *l. 5. Cod. de legibus* non sanè quia nudum est, nam de illo tractavit §. 4. dixitque non parere obligationem quia *nulla subest caussa propter conventionem*,

7. Nihil moveor per *l. si quis pro eo 56. in princip. D. de fideiussor.* nam cum ait, *si quis pro eo qui libertus non esset & operas præstiturum se jurasset fideiussor erit, non tenetur*, notandum, quod jurans, cum non esset libertus, filiusfamilias & ingenuus erat, qui tanquam libertus, operas promittere nequit, *l. patri 4. D. si quis à parente manu. fuerit*, cum nemo dixerit, jurejurando filium parenti manumissori obligari, ut libertum patrono, *nam*

nam pietatem liberi parentibus non operas debent l. nullum 10. D. de obsequijs parent. & patron. præst. nihil ergo mirum est, hic jusiurandum non valere, cum infringat jus libertatis, quod naturale, & quasi publicum *l. titio 71. §. 2. D. de condit. & demonst.* de quo nulla privatorum dispositio valet *l. jurisgentium 7. §. si paciscar 14. & 16. D. de pactis l. 112. §. fin. D. de leg. 1.* ergo multo minus obligatur fideiussor *arg. l. cum lex 46. de fideiussoribus* cum enim ipsius obligatio sit accessoria *l. hi qui 34. D. de fideiuss.* requirit principalem cui adhæret *arg. l. qui contra 11. D. eod. l. cum principalis 178. D. de Reg. Iuris.*

8. Sanè miror quod D. Cuiacius in specie *d. l. si quis pro eo 56. de fideiuss.* posito (ut vult) quod jurans sit servus, negat obligationem naturalem per

jusiurandum oriri, nam qui non ignarus conditionis suæ, Deum vivum in testem vocat, obligatione saltem naturali tenetur, quam fideiussor rectè sequitur *l. fideiussor 16. §. fideiussor D. de fideiuss.* adstrictus ad solidi solutionem *l. cum fideiubeat 35. D. eod.* præsertim cum non obstet publica caussa, sed civilis tantum respectus, qui naturalem obligationem, impedire non potest, itaque cum *l. 7. in prin. l. 8. D. de operis libertorum l. 13. in princip. D. de acceptilat. l. 6. §. si quis absente D. de confessis* velint jurantem, libertum esse, non eo pertinet, quasi, nullus alius jurejurando simpliciter obligetur, sed quod præter libertum, nemo possit jurare, se operas præstiturum, nam ingenius à patre manumissus, nullo modo tenetur, servus tantum naturaliter, textus est *in l. ultima*

ma in princip. D. de liberali caussa,

Nihil ad rem faciunt *l. non solum 11. §. 1. l. 5. §. hac lege D. de iniurijs l. 1. vers. quod si existant Cod. de natural. lib.* nam quis effectum quem pactum habet, denegabit transactioni, aut jurejurando? at exinde inferre quod jusiurandum, non habeat maiorem vim, quam pactum nudum, penitus rediculum est. 9.

CAP. VI.

An Jusiurandum confirmet actum jure non validum.

SVMMARIA.

1. *Multis modis dicitur aliquid jure non validum,*
2. *Quidquid jure non est validum, nulla ratione, jurejurando confirmari potest,*

3. *In-*

3. *Intellectus* auth. ſacram. pub. Cod. ſi adverſus venditionem.

1. INVALIDUM jure, cum primis eſt, pactum dotali inſtrumento comprehenſum, ut contentâ dote, quæ in matrimonium collocabatur: nullum ad bona paterna, regreſſum haberet *l. 3. Cod. de collat. l. ſi quando 35. §. 1. Cod. de inoffic. teſtam* bonis moribus contrarium *l. 6. Cod. de pactis l. generaliter 26. l. ſeq. l. ſtipulatio 61. l. titia in prin. 134. D. de verb. obligat. l. ex eo Cod. de inutilibus ſtipul. §. quod turpi inſtit. eod. l. ult. Cod. de pactis l. 52. §. 2. D. pro ſocio l. alia cauſſa 14. §. 1. D. ſolut. matrim. l. 1. & 2. Cod. ne fideiuſſ. vel mand. dot. dent. l. 1. in princip. D. ad S. C. Maced.* bono publico noxium *l. jus publicum 38. D. de pactis l. 2, l. quemadmodum 7. Cod. de agricol. & cenſitis l. ſenatus 52.*

D. de

D. de contrah. empt. l. cætera 41. §. 1. D. de leg. 1. l. properandum 13. Cod. de judiciys, alienatio fundi dotalis, contra legem Juliam, *tot. tit. D. de fundo dotali arg. l. 1. D. solut. matrim. l. si is cui bonis 6. D. de verb. obligat. l. 1. Cod. de curat. furios. arg. l. his qui 12. §. ult. D. de tutor. & curat. datis ab his &c.* quod in contemptum solemnitatis legitimæ *l. hac consultissima Cod. de testam. l. 1. §. 2. D. de rebus eorum qui sub tutela §. aliæ autem instit. de donat. l. sancimus 34. in fin. Cod. eod. l. cum hi 8. in princip. D. de transact. l. mulieri & titio 34. l. sed si 62. §. ult. l. quotiens 22. D. de condit. & demonst.* donatio inter virum & uxorem *l. 1. 2. 3. D. de donat. inter virum & uxorem* inter patrem & filium *l. 2. Cod. de inoff. testam.*

Etenim, in his, & aliis id genus, simpliciter dico, quia sunt ex firmissimâ ratione, à legibus 2.

impro-

improbata, quod nullo jurejurando possint confirmari, nam cum una, & illa perpetua sit æquitas, ex qua vigor ipsis ademptus, eundem si propter jusiurandum demus, iniquitatem cuius vinculum minimè debet esse, inducamus necessarium est, secundò, legis probibitio est juris publici, quod partes mutare nequeunt, *l. jus publicum 38. D. de pactis* & quia jusiurandum, fit contra leges, pro non dicto, aut scripto, debet reputari *Novel. 61. cap. 1. §. 4.* sic ipse princeps, qui alioquin legibus dicitur solutus. *l. princeps 31. D. de legibus* nullum rescriptum, nullam pragmaticam sanctionem, nullam sacram annotationem, quæ generali juri vel utilitati publicæ adversa esse videatur, in disceptationem cuiuslibet litigii proferri cupit *l. ult. Cod. si contra jus vel utilit.* imo si juramentum confirmaret actum, lege non validum, unâ viâ concedere-

tur,

tur, quod aliâ non licet contra *l. ſcire oportet 21.§.1.D.de tutor.& curator. datis ab his l.cum hi 8.§. ſi cum his 20.D.de tranſact.l.heres meus 79. D. de condit. & demonſtrat. cap. cum quid una de Reg.Iuris in 6.* & in maximum Reipublicæ diſpendium, legi fraus fieret contra *l. ſi quis patremfam. 3.§. is autem 3. D. ad S.C. Maced. l.qui teſtam.27. in fine D. de probat. l.cum quis 37.§.titia D.de leg.3.* ſic *Divi Severus & Antoninus reſcripſerunt, juſiurandum contra vim legum & auctoritatem juris in teſtamento ſcriptum nullius eſſe momenti l. ſi quis inquilinos 112.§.fin.D. de leg.1.* & ita nullum pactum, nulla conventio, nullus contractus, inter eos videtur ſubſecutus, qui contrahunt, lege contrahere prohibente, hoc eſt, ut ea quæ lege fieri prohibentur, ſi fuerint facta, non ſolum inutilia, ſed pro infectis etiam habeantur, *itaque certum eſt nec ſtipulationem huiuſmodi tenere, nec manda-*

mandatum ullius esse momenti, nec sacramentum admitti, ut est elegans textus in *l. non dubium* 5. *Cod. de legibus* generaliter *quotiens pactum à jure communi remotum est, servari hoc non oportet nec jusiurandum de hoc adactum*, ut est in *l. jurisgentium* 7. §. *& generaliter* 16. *D. de pactis*, species proponitur in *Novel.* 51. *in fine prin. non enim si quis ab aliquo jusiurandum acceperit quia occidet forsitan, aut adulterabitur, aut aliquid aget, tale illicitum, oportet servari jusiurandum: utpotè cum sit ita turpe & illicitum, & ad perditionem ducens. ideoque liceat mulieri: licet huiusmodi juramentum juraverit, recedere à jurisiurandi huius amaritudine, & castè vivere sine periculo periurij: magis autem Deo amabiliter pœna periurij (si qua omnino est pœna) contra eum qui jusiurandum exigit, convertenda*,

Nihil

Nihil obſtat *auth. ſacram. pub.* 3. *Cod. ſi adverſus vend.* nam juramentum, ibi tollit tantum reſtitutionem in integrum, ipſe contractus, & ante juſiurandum validus erat, cum in invalidis reſtitutio non ſit neceſſaria *tot. tit. Cod. in quibus cauſſ. reſtit. in integ.*

CAP. VII.

Diſſentiens jus Canonicum cum communi ſchola rejicitur.

SVMMARIA.

1. *Refertur ſententia diſſentientis, & ratio, Iuris Canonici, communiſque ſcholæ,*
2. *Communis ſchola propriis rationibus confunditur,*
3. *Intellectus ſacramenti Ioſuæ & primorum populi Iſraëlitici cum Gabaonitis,*

4. *Ridi-*

4. *Ridicula distinctio Doctorum, inter leges latas ob favorum publicum principaliter, secundariò privatum, & vice versa,*
5. *Refutatur Doctorum distinctio, inter bonos mores Iuris Canonici, & Civilis.*

VErum enimverò præsuli Romano, cum communi Doctorum scholâ, contrarium placuit, textus est, & ratio, in
1. *cap. 28. ext. de jurejurando cum contingat interdum, quod constante matrimonio, mulieres alienationibus super rebus dotalibus, & donationibus propter nuptias, consentiant, ne ulterius contraveniant proprio sacramento firmando, ac soluto processu temporis matrimonio contravenire nitantur, utrum hoc eis liceat tua fraternitas requisivit, nos autem fraternitati tuæ taliter respondemus quod etsi mulierum consensus in talibus non videatur*

tur obligatorius ſecundum legitimas ſanctiones, ne tali tamen prætextu viam contingat periurijs aperiri, mulieres ipſæ ſervare debent huiuſmodi juramenta ſine vi & dolo ſponte præſtita, cum in alterius præiudicium non redundent, nec obſervata vergant in diſpendium ſalutis æternæ, iterum in capitulo ſecundo de pactis in ſexto, *Quamvis pactum patri factum à filia, dum nuptui tradebatur, ut dote contenta nullum ad bona paterna regreſſum haberet, improbet lex Civilis, ſi tamen juramento, non vi, nec dolo præſtito firmatum fuerit, ab eadem omnino ſervari debebit, cum non vergat in æternæ ſalutis diſpendium, nec redundet in alterius detrimentum DD. in auth. ſacram. pub. Cod. ſi adverſus vendit.*

Attamen perversè, nam ſi 2.
juſiurandum, non ſit ſervandum, quod in alterius præjudi-

cium

cium redundat, non confirmantur per ipſum, actus jure invalidi, cum redundaret in præiudicium prohibitionis legis juſtæ, conſtituens, ipſi contrarium, quod rectè dixeris iniquum, cuius juſiurandũ minime vinculum eſſe decet *cap. quanto 18. ext. de jurejurando*, iterum, ſi juſiurandum, non ſit ſervandum, quod vergit in diſpendium ſalutis æternæ, ſanè quod bonis moribus, bono publico, denique legiſlatoribus quidpiam ex neceſſariâ, vel honeſtâ cauſſâ, prohibentibus adverſatur, nullam vim conſequi poterit, cum in æternæ ſalutis vergat diſpendium, Apoſt. *ad Rom. cap. 13. verſ. 1. & 2. Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubiecta eſto, non enim eſt poteſtas niſi à Deo: & quæ ſunt poteſtates ſunt à Deo ordinatæ itaque quiſquis opponit ſe poteſtati Dei ordinationi reſiſtit qui autem reſiſtunt ipſi ſibi condemnationem auferent.* Neque video quomodo Deum

Deum ipſum , quaſi evertere dici nequeat, qui eum in teſtem vocat eius rei firmandæ gratia; quam per neceſſarias & honeſtas leges, à magiſtratibus latas fieri vetuit, per Deum enim reges regnant & legum conditores juſta decernunt *Proverb. 8.* 3.
cave mihi obieceris juſiurandum, quod Joſue & Iſraëlitici populi primores Gabaonitis præſtiterunt Joſue *cap. nono*, nam lex divina cum internecioni, populos promiſſionis terræ devovebat, rectè in eâ ſalvatur internecione, quâ deditione factâ, in ius & imperium Iſraëlitici populi delati, quaſi delerentur, ut Gabaonitis contigit, quod autem & ſic intellexit Deus, nec quidquam adverſus eius legem iuratum fuit, patet ex eo, quod cum ſibi contrarius eſſe nequeat, de illius ſacramenti violatione graves ſumpſit

ſit pœnas 2. *Samuel*. xxi. 6. ita Salomon 1. *Reg*. ix. 20. Cananeorum reliquias, accepto tributo, ut jure naturæ, ſanguini parceret, ſibi ſubiecit,

4. Suaves noſtri ſunt, cum diſtinguunt inter legem latam ob favorem publicum principaliter, ſecundariò privatum, & vice verſâ, ut illo caſu adverſus ipſam juſiurandum præſtitum, non teneat, hoc teneat, nam nulla lex principaliter lata eſt, ob privatum favorem, imo ſi eſſet corruptelam nominarem, cum ſalus populi, cuiuſque legis ſit ſcopus, ſed decipit clariſſimos viros, executio quædam prior, ſæpe privatam utilitatem reſpiciens, ſed in hanc lex principaliter lata non eſt, ſed quatenus per eam, ad ultimum finem, qui ſemper bonum publicum eſt, pervenit.

5. Suaviores ſanè, cum diſtinguunt

guunt inter bonos mores Iuris Civilis, & Iuris Canonici, nam Iuris Civilis sunt *honestè vivere*, *alterum non lædere, suum cuique tribuere, l. justitia 10. D. de Iustit. & Jure*, denique qui nullum peccatum directè vel indirectè continent, ut toto nostro tractatu patet, dico ergo jusiurandum, quod justis legibus, quibus propter Dei præceptum obedientiam debemus, adversatur, & esse contra jus publicum, contra bonos mores, in præjudicium tertii, & æternæ salutis dispendium redundare, proinde nulla ratione servandum.

CAP. VIII.

An qui juravit solvere possit compensare?

SVMMARIA.

1. *Non potest ex sententia Iuris Canonici,*
2. *Jus Canonicum refutatur.*

1. INVITA jurisprudentiâ, proditum est in *cap. ad nostram 7. ext. de jurejurando* eum qui datis creditori pignoribus, juravit se soliturum, quantitatem mutuò acceptam, non posse compensationē obiicere, quasi non solvat qui compensat, cum compensatio tantum sit ficta solutio *l. si cum filiofam. 9. l. ideo 3. D. de compensat.* quare cum jusiurandum, conceptum sit de solutione, ei non potest compensatione satisfieri *arg. l. Iulianus 45. D. de condit. & demonstrat.* quòd in deposito nemo negare potest *l. penult. Cod. depositi l. ult. in fine Cod. de compensat.*

2. Verùm accipere debemus, solvisse non tantum eum, qui solvit, verum omnem omnino, qui eâ obligatione liberatus est, *l. si se non 4. §. solvisse 7. D. de re judicata* sed liberatus est qui

qui compenſat *l. ſi ambo 10. in fine princip. D. de compenſat.* & ita defectus ſolutionis, juſiurandum ſuſtinere non poteſt, quum debitum, per id, quod ipſo jure, pro ſolutione habetur, ſit eliſum, nam nihil intereſt ſolverit quiſpiam an compenſaverit *l. ſi debitor 4. D. qui potiores in pignore* dat enim qui compenſat *l. vel permutavit 19. D. de liberali cauſſâ l. dediſſe 76. D. de V. S.* cum etiam juris ſit certiſſimi, conditionem præcisè, nec per æquipollens adimpleri poſſe, *l. mævius 55. l. qui heredi 44. D. de cond. & demonſtrat.* nihilominus, conditio ſolvendi, per compenſationem adimpletur *l. ſi peculium 20. §. quod ſi heredi D. de ſtatuliberis arg. d. l. Julianus 45. D. de cond. & demonſtrat.* Neque moveri debeo, eo, quod dicitur, compenſationem eſſe fictam ſolutionem, cum non inde ſequatur, per eam jurejurando non ſatisfieri, cum illa fictio, tantum ſit

nudi cuiusdam accidentis, ubi reverà per debiti, & crediti, inter sese contributionem, actiones utrinque, ipso jure, sunt sublatæ *d. l. si constat 4. Cod. de compensat.* ita frustrà requiritur solutio, ubi amplius non est debitum *l. 1. Cod. de pignor. act.* æquè tenue argumentum præbet depositum, quod ratione cujusdam sanctimoniæ, quam vetustas ipsi inesse credidit, præcisè restituitur, cum interim agatur etiam, de syncera fide depositarij, nullum jus acquirentis in ipsa specie, quam nullo colore retinere potest, illudque partes probè norunt, at qui jurat solvere, intelligitur de tali satisfactione quæ debitum exsolvit, tollit, perimit, quæ plenissimâ liberatione ex justo legum tenore, soleat fungi.

CAP. IX.

De Remissione Jurisiurandi.

SVMMARIA.

1. *Omnium opiniones proponuntur,*
2. *Proponitur & opinio D. Hugonis Grotij,*
3. *Dissentitur ab omnibus, etiam D. Grotio,*
4. *Nunquam principes Romani, jusiurandum remiserunt,*
5. *Intellectus* l. ult. D. ad municipalem,
6. *Intellectus* l. ult. D. qui satisdare coguntur,
7. *Intellectus* l. 1. §. 1. Cod. qui militare possunt, lib. 12.
8. *Intellectus* l. adigere 6. D. de jure patronatus,
9. *Occurritur ratiocinationi D. Grotij.*

ACCURSUS *ad l. adigere 6.*
1\. *D. de jure patronatus* plenam remittendi jurisiurandi facultatem, Imperatori, principibusque tribuit, quem, cum interpretes non inferioris notæ, & Imperialis Camera teste D. Andreâ Gaillio *lib. 1. obs. cap. 25.* sequerentur: dictante Pontifice in *cap. venerabilem ext. de elect. cap. novit ext. de judicijs cap. cum contingat, cap. debitores ext. de jurejurando* communis schola (accusans Romanas leges de paganismo) illam solis Ecclesiæ præsidibus vendicavit, quid er-
2\. go? D. Hugo Grotius *lib. 2. de jure belli & pacis cap.* XIII. *de jurejurando n.* XX. ita sentit *sed & actus ex utroque mixtus esse potest, ut si superior constituat quod inferior juraverit hoc aut illo casu, puta ex metu; aut imbecillitate judicij, ita demum valere si ab ipso approbetur. atque ex hoc fundamento*

mento defendi possunt absolutiones juramentorum, quæ olim à principibus, nunc ipsorum principum voluntate, quo magis cautum sit pietati, ab Ecclesiæ præsidibus exercentur,

Mihi (quod pace totius scholæ dixerim) harum opinionum 3.
nulla vera videtur, nam primum, jure Romano, nunquam 4.
principes, juramentorum absolutiones exercuerunt, non *in*
l. ult. D. ad municipalem ubi *Imperatores Antoninus & verus rescripserunt, gratiam se facere jurisjurandi ei, qui juraverat se ordini non interfuturum, & posteà duumvir creatus est*, nam juramentum in hujus legis casu, ipso jure nullum est, cum sit præstitum contra Rempublicam, cui magis, quam nobis nascimur, neque supervacanea fuit remissio, si non determinet jusiurandum, cum restabat iufidelitatis cri-

men, quod jurando commiserat, & per clementiam imperialem dilui debebat, nec ad
6. rem facit *l. ult. D. qui satisdare coguntur*, nam cum ait: *qui juratò promisit judicio sisti, non videtur peierasse, si ex concessa caussa hoc deserverit* tò concessâ caussâ, non est (ut falso credunt interpretes) ex principali remissione, sed ex caussâ à lege concessâ, qua non peierat qui juratò promisit judicio sisti, quales secundum subiectam materiam, variæ sunt, quid enim si cum venit vi eximatur? quid si valetudine laborare ceperit? quid si ad sistendum hostem emissus? aut ad principem evocatus fuerit?
7. Neque moveor *per l. 1. §. 1. Cod. qui militare possunt lib. 12.* cum enim dicunt Impp. Severus & Antoninus, *Non autem ignoratis, eos, qui litis caussa militiam appetierint, postulantibus adversarijs*

versariis solvi sacramento solere, non solvuntur authoritate summa, sed remissione juris acquisiti, quoniam in detrimentum tertii redundabat, quo nullius caussa, etiam Reipublicæ, sine efficaciori ratione, fieri potest pinguior, nec obstat *l. adigere 6. D. de jure patronat.* ubi *lege Iulia de maritandis ordinibus permittitur jusiurandum, quod liberto in hoc impositum est, ne uxorem duxerit, libertæ, ne nuberet si modo nuptias contrahere rectè velint*, nam cum lex Julia, justas nuptias frequentari è Republica putavit, eas contrahere volens libertus, vigore jurisiurandi impediri non potuit, cum in damnum Reipublicæ redundans, ipso jure caducum erat. 8.

Ergò juramentorum absolutiones, Jure Romano, à principibus non exercitæ, proinde ipsorum voluntate nunquam ab 9.

Ecclesiæ præsidibus *arg. l. nemo plus 54. D. de Reg. Iuris* sed ausu nefario, in omne pietatis dispendium, rem religiosissimam, primi contaminarunt, vocatus enim in testem Deus Opt. Max., & in casu fallaciæ vindicem, sibi, vel jus acquirit, vel acquirentem tertium, ita firmat, ut, vel jure proprio destitui, vel à negotio tertii dimoveri non possit, nisi per eum, qui se divini juris arbitrum profitebitur, & quis erit ille mortalium? ne dicas hunc esse mixtum actum, cum juramentum non dicitur obligare, quia principi placet, sed quia suffultum est auctoritate divina, cui æquè subditus princeps, ac è populo minimus, non ergo potest constituendo superior, jurisiurandi effectum, ex jure divino competentem invertere, nec rationes adferendo remissioni locum facere, cum propter illas, aut nullum sit, *l. ult. D. ad municipalem & alijs à me explicatis*

explicatis & ineptum est de remissione quærere, aut nihilominus firmum manet, & est divini juris, de quo minor Deo, disponere non potest.

CAP. X.

De Præscriptione.

SVMMARIA.

1. *Iure Civili, bona fides, medio tempore non requiritur, Canonico contrà,*
2. *Jus Civile confirmatur,*
3. *Confunditur jus Canonicum, & interpretes propriâ Doctrinâ,*

INITIO præscriptionis, bona fides, Jure Civili sufficit, 1.
qua credimus nos usucapere posse *l. si fur 32. §. 1. D. de usurpat. & usucap.* Dominos esse *l. 21. Cod. de furtis* & ignoramus rem ad alium quemquam pertinere

l. bonæ fidei 109. D. de V. S. super-veniens autem alienæ rei notitia, usucapionem ceptam non abrumpit *l. unica Cod. de usucap. transform. l. cum heres 11. D. de diversis & tempor. præs. §. diutina instit. eod.* at jure Pontificio, quod communis schola sequitur, bona requiritur fides, ad ultimum usque momentum præfiniti lege temporis *cap. ult, cap. si diligenti ext. de præscrip. cap. possessor de Reg. Iuris in 6. & ibi*
2. *DD.* Malè tamen, nam bonum publicum, usucapionem expressit, cuius intererat, rerum esse certa dominia, *l. 1. D. de usurpat. & usucap.* lites minui *l. ult. D. pro suo* nec esse desertam agriculturam, quorum sola caussa, negligentia non petentis, & deserentis rem suam *l. ut perfectius 2. & l. ult. in fine Cod. de annali exceptione l. cum notissimi 7. l. si quis emptionis 8. Cod. de præscrip.*

ſcrip. 30. vel 40. annor. hanc lex tollere ſtatuit, pręfigendo certũ tempus, quo rebus ſuis, domini conſulere debent *tot. tit. Cod. de præſcrip. cum ſeqq.* at poſſeſſoris ſuperveniens mala fides, rara ſanè, cum bona fides ab initio fuerit, Reipublicæ non nocet, ſed inquis conſcientiæ nocet? reſpondeo, leges quæ publicum intendunt bonum, illam munire ſemper, neque debere, neque poſſe, lex præſcriptionis, negligentem petere rem, dumtaxat reſpicit, conſcientiam poſſeſſoris, ſervat Deo, proinde miror interpretes, cum aiunt
bonam fidem præſumi, ni mala 3.
probetur *arg. l. verius 21. D. de probationibus* quia ſi notitia ſuperveniens, præſcriptionem abrumpat, poſſeſſor conventus, in odium peccati, conſcientiam jurejurando manifeſtare deberet, prout id in caſibus

ſimi-

ſimilibus perpetuum eſt jure no-ſtro, profectò magis miror Ponti-ficem, dum publica lupanaria præ-fixis legibus admittit, quæ ſine peccato frequentari nequeunt, quod tamen non curat, modò con-ſequatur quod intendit, ſanè Dei legem conculcare, Diabolicum eſt, ſed negligentes & ad Reipu-blicæ uſque perniciem, deſeren-tes res ſuas, punire, juſtum,

Etiam video deceptum, paulò infra dimidium juſti pretii, ut Iure Civili, ſi Canonico nullum habere remedium, nihilominus læden-dem ſub peccati reatu, ex omnium doctrina ad reſtitutionem teneri, nec ullum ſupereſſe ſolatium ex-cluſo per curſum temporis actio-nis redhibitoriæ, quantique mi-noris, cum tamen excludens, vel fatentibus Canoniſtis, non poſſit habere bonam fidem, *Panorm. col. 3. felin. col. 2. ext. de præſcrip-tionibus Covar. in cap. poſſeſſor de*

Reg.

Reg. Iuris in 6. parte 2. §. 11. n. 7.

Egregiè sui tandem immemor Pontifex *in cap. 1. ext. de præscriptionibus* ubi præscriptionis utitur exceptione Episcopus qui alienæ diœcesis partem triennio detinuit, quod sine mala fide (vel teste tota schola quam hic locus semper mirum in modum torsit) contingere non potuit, sed inquit, favore religionis priorem Episcopum, præsumi illam partem pro derelicto habere, verùm si possessoris mala fides, quæ hic non sola est superveniens, sed ab initio, veniat considerand a, quomodo religionis favor eam diluere potest? indigerne Dominus ad Euangelii propagationem peccato nostro? satius fuerit dicere hanc præscriptionem esse justam, quia non possessoris mala fides, sed negligentis culpa quæ in religionis dispendium vergit, vindicatur, capitulum verò finale cũ DD, à tenore juris deviare,

Cap. XI.

An tutus ſit in conſcientiâ, qui poſt præſcriptionem, legitimè completam, primùm compererit rem fuiſſe alienam?

Summaria.

1. *Negatur adverſus communem ſcholam,*
2. *D. Covarruvias propriâ doctrinâ confunditur,*
3. *Reſpondetur cæteris argumentis in contrarium,*

1. NEGARUNT Alciatus *in libello de quinque pedum præſcriptione* Tholaſanus *ſyntag. Iuris lib.4.cap.8.* & pauci quidam, ſed quia rationibus parum aptis, communis ſchola, in contrariam, ſed erroneam, prorupit ſententiam, nam quamvis lex

lex quæ præſcriptionem invenit, juſta ſit, illa tantùm negligentem petere rem, poſt tempus lege definitum, repellit, ſed urget poſſeſſorem Deus, cui conſtat, non licere locupletari, cum alienâ jacturâ, *l. nam hoc 24. D. de condict. indebiti l. jure naturæ 206. D. de Reg. Iuris*, neque vocatur à lege *Dominus*, quam quia petentis cauſſa, propter negligentiam, dictante bono publico, non examinatur, ſed ait D. Covarruvias *in relect. cap. poſſeſſor de Reg. Iuris in ſexto parte 3. §. 2. ſi vera foret prior opinio, ſequeretur compertâ veritate rei: poſſe judicem interioris fori, & judicem exteriorem contraria pronuntiare, & utrumque juſtè: quod adeò abſurdum eſt, ut quivis mediocri præditus eruditione, hoc minime poſſe contingere palam teſtetur*, Etenim hæc contraria 2.
non ſunt, nam judex fori exte-
rioris,

rioris, dictante bono publico, repellit actorem post tempus, lege definitum, non justè petentem, sed conscientia reum urget, cui compertum, rem actoris esse, licet negligentis, at coram Deo sic comparatum est: ut aliena culpa, malam nostram fidem non purgat, Ipse Covarruvias *lib. 2. var. resolut. cap. 4. n. 11.* tradit enormiter læsum, non tamen supra dimidium, lege tam Civili, quam Canonica, non adjuvari, lædentem tamen ad restitutionem coram Deo teneri, & in relectione *cap. quamvis pactum de pactis in sexto part. 2. §. 4. n. 21. circa finem* Pontificem præfixis legibus admittere scorta, secundum ipsum, justus Pontifex, justus Deus, contrarii tamen, sic quivis mediocri præditus eruditione, D. Covarruviam hic graviter lapsum, facilè testabitur,

Non

Non obſtat quod juſta ſit 3.
poſſeſſio, bonorum damnatorum, *l. 1. D. de bonis damnatorum* quia cauſſam habet à fiſco juſtè privante, ſed præſcribens non habet cauſſam à lege, cum ipſa lex negligentem, Dominio rei ſuæ principaliter non exuit, ſed per obliquam ſolùmmodò conſequentiam, quæ cum à lege non attenditur, ex ea juſtitia poſſeſſionis: ut à lege, derivari non poteſt, eâdem ratione, juſta eſt poſſeſſio earum rerum, quæ in bello capiuntur, quia cum omni jure liceat inimico vitam adimere, quid mirum ſi bona? ſed lex non dat jus capiendi negligentis bona, cum ipſa non capiat, ſed per repulſionem agentis, penes poſſeſſorem, per conſequentiam à lege non conſideratam, remanent, ergo non defenditur juſtitia legis, qui ipſius auctoritate principaliter

non

non possidet, nam aliud agendo negligentem non audit, at possessor est qui contra judicium animi, proximum re suâ spoliat,

Cap. XII.

An donatione facta sub modo, donator eo non completo, rem donatam revocare possit?

SUMMARIA.

1. *Affirmat jus Civile,*
2. *Negat Canonicum,*
3. *Refutatur,*

1. DUBIUM parvum, textus est in *l. quotiens 3. Cod. de donat. quæ sub modo* cum ait condictitiæ actionis persecutionem competere, vel actionem utilem, juxta donatoris voluntatem, sed si ea lege donatum sit, ut alimenta præstarentur, non

non solum condictio, sed utilis competit vindicatio, *l.1.Cod. eod.* utrumque negat Pontifex 2.
in cap. verum ext.de conditionibus appositis cum ait, *verum cum alicui Ecclesiæ, possessio qualibet interposita conditione donatur, à donatore postea donum revocari non potest, nisi fortè tali sit conditione collatum, quod ea cessante debeat revocari.* Iniustè, nam audacter 3.
leges infringit, quibus ex conscientiâ parere debet, *Epist. ad Roman. cap. 13.* arripit privilegium, sanè maximum, quod principis erat dare, aufert jus esurientibus sine facto eorum, ne dixeris favorem Ecclesiæ maiorem quam alimentorum esse, nam Ecclesia jure Canonico clerum denotat, qui pollet immensis opibus, alimenta verò, non aliis communiter relinqui solent, quam Indigis ut possint servari. Æquè ridicu-

lum est dicere, negligentiam prælati, in præstandis alimentis, Ecclesiæ non nocere, nam ipse, cum sociis Ecclesia est, quæ præponendo unum omnibus, idoneum laudat, ut latè discutit Rolandus à Valle *cons.15.n.23. & seqq.* neque purgari negligentiam prælati cupit Pontifex, sed condictionem, aut utilem vindicationem impediri, quod nemo sanus unquam admittet,

Cap. XIII.

An Testamentum solenne sit contra jus divinum?

SUMMARIA.

1. *Ius Canonicum refertur,*
2. *Ius Civile confirmatur,*
3. *Pontifex proprio jure confunditur,*
4. *Rejiciuntur Canonistarum excusationes,*

Roma-

ROMANUS præsul quem sedis prærogativa non errare patitur, scribit in *cap. 10. ext. de testamentis* in hunc modum, *Cum esses in nostra præsentia constitutus, proposuisti talem in tuo Episcopatu consuetudinem obtinere quod testamenta quæ fiunt in ultimâ voluntate penitus rescinduntur: nisi cum subscriptione sep-* I.
tem vel quinque testium fiant, secundum quod leges humanæ decernunt, quia verò à divina lege & sanctorum patrum institutis & à generali Ecclesiæ consuetudine id esse noscitur alienum, cum scriptum sit in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: præscriptam consuetudinem improbamus: & testamenta quæ Parochiani coram Presbitero suo & tribus vel duabus alijs personis idoneis in extrema fecerunt voluntate, firma decernimus permanere: subinterminatione anathematis prohibentes ne quis

huius-

huiuſmodi audeat reſcindere teſtamenta, ſed dictum Domini *Matth. 18. verſ. 16. & Ioan. 8.*
2. *verſ. 17.* cuius meminit Pontifex, conceptum eſt de omni verbo ſimplici juxta *l. ubi numerus 12. D. de teſtibus cap. in omni 4. cap. licet ext. de teſtibus*, ſecus dicendum cum leges maximis vigiliis excogitatæ ex ſalutari Reipublicæ bono, ad maiorem cautelam plures adhiberi volunt, ſed peccat in jus proprium Pontifex, nam proditum eſt ad convincendum de crimine Epiſcopum, requiri teſtes
3. 72. Presbyterum Cardinalem 44. Diaconum 27. Subdiaconum, Acolythum, Exorciſtam, Lectorem, Oſtiarium 7. nulla notatos infamia *can. præſul & can. nullam 2. q. 4.* imo ſibi contrarius, nam præter duas aut tres idoneas perſonas, requirit Presbyterum,

Pauco-

Paucorum subtilitas in eo 4.
tota fuit, ut interpretatione commodâ, Pontificem ab infamia vindicaret; D. Didacus Covarruvias de testamentis *cap. 10. n. 8.* putat Pontificem non damnare consuetudinem Hostiensis Ecclesiæ, ut juri divino contrariam, sed *Quod ex illis divinæ legis verbis in ore duorum &c. generali totius Ecclesiæ Catholicæ consuetudine ad testamenta deductis, addito Presbytero paræciali, omnino esset adversa, cum tamen tenentur Ecclesiæ Catholicæ consuetudinem sequi, cap. cum non liceat ext. de præscrip. cap. 1. cap. de his 12. dist.* obstat ipse Pontifex, qui non dicit verba Domini consuetudine tracta esse ad ultimas voluntates, sed Romanas leges (cum scriptum sit in ore duorũ &c.) juri divino totiusque Ecclesiæ consuetudini, contrarias esse,

Glossa in *d. cap. cum esses* quam communis schola sequitur, dicit hoc capitulum directum esse ad Episcopum Hostiensem, qui Romano Pontifici in temporalibus erat subiectus, esto: hic non est quæstio an Pontifex in terris, quæ jurisdictioni suæ subsunt, potuerit jus inducere contrarium Juri Romanorum, sed num jus Romanorum sit contra Sacram Scripturam, ut asserit.

Cap. XIV.

An alienæ rei Legatum jure divino sit validum?

Svmmaria.

1. *Refertur jus Canonicum,*
2. *Refutatur unà cum Canonistis,*

Filius *noster F.* verba sunt Pontificis in *cap. 5. ext.* de testamentis, *conquestus est quod quondam*

dam P. pater suus aliqua Ecclesiæ 1.
vestræ sepulturæ suæ gratiâ juris alieni reliquit, & quidem leges sæculi hæc habent ut heres ad solvendum cogatur, si auctor eius rem legaverat alienam, sed quia lege Dei, non autem lege huius sæculi vivimus, valde mihi videtur injustum, ut res tibi legatæ, quæ cuiusdam Ecclesiæ esse perhibentur, à te teneantur, qui aliena restituere debuisti, sed lege huius sæculi vivere est Dei lege vivere, *Proverb. 8. Apost. ad Rom. cap. 13 in princip.* valdè mihi videtur injustum, heredem non teneri *§. non solum instit. de legatis* nam 2.
voluntas testatoris, respectu legatarii clara est, respectu rei legatæ non minus, at illa cùm corpore constet, & æstimatione, *nihilque sit quod magis hominibus debeatur: quam ut supremæ voluntatis (postquam jam aliud velle non possunt) liber sit stylus*

& licitum quod iterum non redit arbitrium l. 1. Cod. de SS. Ecclesijs venire debet, eo modo quo potest, at æstimatione etiamsi sit aliena, semper potest, nihil refert quod res legata alicuius Ecclesiæ perhibeatur, nam qnamvis non nisi solennitatibus adhibitis alienari possit, *tot. tit. ext. de rebus Ecclesiæ alienandis* tamen alienari potest, *Can. sine excep. 12. q. 2.* nec id est contra legem sæculi *textus est in l. apud Julianum §. constat D. de legatis 1.* quamvis nulla ratione posset alienari *d. l. apud Julianum §. item campum & §. sed & ea* nec etiam ipsa retentionis inhibitio, cum Jure Civili aliena res legata secundum corpus, non afficitur, non enim onerare testator illum potest quem non honoravit, at secundum æstimationem semper citra ullius injuriam, & ita scriptum est in *Can. si Episcopus 12. q. 5.* quem, turpius est Pontificem nescivisse, quam jus Romanorum.

Cap.

CAP. XV.

De heredis institutione alieno arbitrio permissâ.

SVMMARIA.

1. *Jus Canonicum refertur, & refutatur,*
2. *Intellectus* l. 58. D. de hered. instit.
3. *Intellectus* l. asse toto 77. D. eod.
4. *Intellectus* l. quotiens 9. §. 8. D. eod.
5. *Intellectus* l. Theopompus D. de dote prælegata,
6. *Legatum alterius arbitrio committi potest,*
7. *Intellectus* l. fideicommissa 46. D. de fideicom. libert.

QUI *extremam voluntatem* 1.
inquit Pontifex in *cap. cum tibi ext.* de testamentis *in alte-*

rius dispositione committit non videtur decedere intestatus jure verò Civili decedere videtur, quia testamentorum jura per se firma esse decet, nec ex alieno pendere arbitrio *l.32. D. de hered. instit.* ideo testatoris ore proferri, aut manu scribi, nomen heredis debet *l. jubemus 29.Cod. de testam.l. heredes palam 21. D. qui testamenta facere poss.* Verùm qui partes sequuntur Canonicas, in contrarium adferunt *l.58. D.de hered. instit.* cum
2. inquit, *nemo dubitat recte ita heredem nuncupari posse hic mihi heres esto cum sit coram qui ostenditur*, sed ineptè, nam demonstratio, cum nuncupatione est actus, totus, à testatore in ipso testamenti contextu factus, quo heredis notio, ex indubitata testatoris voluntate, conceptibus testium ingeritur, quod à nomine, vel Scripturâ distinguere,

guere, nugari foret, nec obſtat *l. aſſe toto 77. D. eod.* quæ hanc 3.
inſtitutionem probat, *quem heredem codicillis fecero heres eſto* nam cum ſint teſtamenti totius pars, & appendix, ipſi cenſentur ineſſe, & ipſis etiam ſolis, ſaltem virtute fideicommiſſi heres inſtitui poteſt, non etiam *l. quotiens 9. §.8. D. eod.* quæ in- 4.
telligi debet ſecundum *l. nemo dubitat*, nam ex verbis, *non tamen eo quod contumeliæ cauſſa ſolet addi*, apparet heredem legitimè nuncupatum fuiſſe, non *l. Theopompus 14. D. de dote prælegata*, quia non dubitatur in il- 5.
la, de heredis inſtitutione, illa per teſtatorem, & quidem patrem, erat facta, ſed de modo dotis, quem Polliano manifeſtarat.

In legatis & fideicommiſſis, 6.
obſervatio tam ſtricta non eſt, nam arbitrio & moderationi,

non tamen præcisè alterius voluntati committi possunt, *l. fideicommissa 11. §. 7. D. de leg. 3.* sed de his non fuit locutus Pontifex, cum non sint dispositio, qua quisquam non videtur decedere intestatus, nec ait si heres fuerit arbitratus, si heredi utile visum fuerit, sed si disposuerit, quæ præcisa voluntas est, ideo non moveor per *l. fi-*
7. *deicommissa 46. in principio D. de fideicom. libert.* quia cum dixit, *si volueris* addit *fidei tuæ committo ut Stichum manumittas*, quod arbitrium denotat, nam cum absunt, legatum etiam libertatis, non valet, *d. l. fideicom.* §. 3. secundum quem paragraphum debet intelligi §. *ult.* ut sit arbitrium, imo quid minus, nam post manumittendi necessitatem, dumtaxat nominandi facultatem habet, quod multum differre scribit Gaius in

l. utrum

l.utrum ita 7. §. cum quidam. D. de rebus dubijs mitto vitium argumentationis à legatis ad heredis institutionem, caussamque piam, nunquam leges invertere *l. generali 13. Cod. de SS. Ecclesijs* neque nos libertati nisi in dubio favere *l. quotiens 20. D. de Reg. Iuris.*

CAP. XVI.

De Testamento solennitatibus destituto.

SVMMARIA.

1. *Probatur adversus communem scholam, testamentum solennibus destitutum, in conscientia heredem obligare,*
2. *Intellectus* l. si creditoris 17. Cod. de fideicommissis,
3. *Intellectus* cap. cum super ext. de officio delegati & l. nemo potest D. de leg. 1.

4. *Testamenti factio juris est gentium,*

Quamvis lex Civilis quæ testamentariam solennitatem invenit, justa sit,
1. obligetque conscientiam, *Proverb. 8. Paul. ad Rom. cap. 13. Can. quo jure distinct. 8.* tamen illud præter legis intentionem operari nihil potest, quæ tantum illos afficit, qui in voluntate minus solenni se fundant, ut arceantur justè, etiam coram Deo, cum testator legem, ob publicam utilitatem inductam, neglexerit, sed nostrum dubium est de conscientia heredis, cui compertum quid testatori: pleno rerum suarum moderatori, & arbitro placuerit, qua propter si non legitimum, naturæ saltem, & conscientiæ nascitur debitum, vel authoritate eiusdem legis, quæ fundantes

dantes ſe in minus ſolenni teſtamento repellit, nam ſi heres ſolverit quod ex ſimili teſtamento debetur, non habet condictionem indebiti, quaſi ſatisfactum eſſe videatur ex conſcientia relicti fideicommiſſi *l. etſi inutiliter 2. Cod. de fideicommiſſis l. non dubium Cod. de teſtamentis l. in teſtamento 38. D. de fideicom. libert. §. ult. inſtit. de fideicom. heredit.* quam haberet ſi non ſubeſſet *l. quod pupillus 41. l. naturaliter 13. D. de cond. indedebit.* neque dici poteſt, teſtamentum minus ſolenne vigore deſtitui ob præſumptionem fraudis, ſed quia non habet ſolennitates à jure requiſitas, Non offendar per *l. ſi creditoris* 2. *17. Cod. de fideicom.* argumento ducto à contrario ſenſu, ſi jure ſubnixa non ſit tibi non competit exceptio, nam quamvis inducat obligationem naturalem,

illa tamen non est efficax ad elidendum debitum, cum ad id requiritur quidquam à lege probatum, ut est solutio eius quod debetur, non testamentum minus solenne, Nihil ob-
3. stant *cap. cum super ext. de officio delegati l. nemo potest D. de leg. 1. §. ex eo instit. quibus modis testam. infirm. l. hac consultiss. Cod. de testam. l. quotiens 6. D. qui satisd. coguntur l. si veritas Cod. de fideicom.* quia procedunt secundum forum exterius tantùm,

Si quosdam secutus, testa-
4. menti factionem, Iuris Civilis tantum, non gentium arbitreris, advertas juris gentium esse Dominium, & dispositio super eodem, iterum me posse de rebus meis, non modo purè, sed & sub conditione, & modo disponere, neque solum abdicatâ facultate retrahendi, sed etiam retentâ, simul etiam plenissimo

niſſimo jure fruendi, quocirca ſi in mortis eventum confirmationem contulerim, nihil ita me jus gentium exceſſiſſe confiteberis, ego dicam me id quod teſtamenti eſt feciſſe, at forma ex auctoritate legali eſt, ut etiam id, quod alibi locorum, aliquando populo teſtandi facultas adempta fuerit, quod & benè notavit *D. Hugo Grotius lib. 2. de jure belli & pacis cap. 6. n. 14.*

CAP. XVII.

De defalcatione legitimæ & quartæ Trebellianicæ.

SVMMARIA.

1. *Ius Canonicum refertur & refutatur.*

INGENVITATEM juris, non parùm turbat Pontificis conſtitutio *in cap. Raynaldus & cap.* 1.
Raynu-

Raynutius ext. de testamentis dum post legitimę defalcationem, Trebellianicam filio fideicommisso gravato deducere cõcedit, cum ad hoc ob liberam, à naturâ cuique competentem, testandi libertatem, *l. 1. Cod. de SS. Ecclesiis* requiratur lex, ut fuit quæ inofficiosi testamenti querelam induxit, *instit. de inofficioso testamento in princip.* quæ modum imposuit manumissionibus lex caninia, legatis & mortis caussâ donationibus primum lex furia, secundò lex voconia, tandem falcidia dodrantem legata vetuit excedere, quam ad donationes caussâ mortis extendit Severus *l. si mortis Cod. ad l. falcidiam* ad fideicommissa testamento relicta S.C. Pegasianum, relicta vero ab intestato constitutio Divi Pij, tandem Justinianus variis modis rescidit *Novel. 18.* de utrâque parte nihil habemus, neque potuimus, nam S. C. Pegasianum in-

inductum est, *quia heredes scripti, cum aut totam hereditatem, aut penè totam, plerumque restituere rogabantur: adire hereditatem ob nullum, vel minimum lucrum recusabant, atque ob id exstinguebantur fideicommissa §. sed quia instit. de fideicom. heredit.* sed liberi ob legitimam, quam sine ullo recipiunt onere, procul omni dubio, paternam hereditatem sunt adituri, hac ratione non agit de inofficioso filius, qui falcidiam ex legatis detraxit *l. Papinianus 8. §. 9. D. de inoff. testam.* vel Pegasianam ex fructibus *d. l. 8. §. 11.* vel quartam ex constitutione Divi Pij *d. l. 8. §. 15.* ita in *l. 1. §. penult. D. si cui plus quam per &c.* destituitur petitione falcidiæ patronus, qui provisione legis legitimam habet, quia duæ lucrativæ caussæ iu eundem hominem & eandem rem concurrere non possunt §. *si res aliena instit. de legatis* sic lex jubemus *6. Cod. ad S.C. Trebell.* præcipit gravato filio resti-

restituere dodrantem, sed utrâque defalcatione factâ restitueret semissem tantum, aut similem hereditatis partem, quod alienum est à tenore legis, dici nequit hanc legem correctionem passam esse per Novellam Justiniani *39.* §. *quamobrem* quia cum legitima non est amplius quarta, sed tertia pars assis, *Novell. 18. cap. 1.* illam Trebellianicâ spretâ, potius petiturus est filius, idcirco de dote, aut antenuptiali donatione, non post legitimam & Trebellianicam quærit, sed legitimam tantum, nemo dixerit legitimam alio jure deberi filio quam Trebellianicâ cuivis: cum jus quod filius jure proprio habet, non partem, sed assem respicit, subiectum tamen voluntati testatoris, in quantum speciali lege, ex ratione gravissimâ, non coarctatæ.

CAP. XVIII.

An jure naturali licita ſit uſura?

SVMMARIA.

1. *Affirmatur adverſus communem ſcholam,*
2. *Intellectus bonorum auctorum ſuper uſuris.*

ÆQVITAS compenſationis, uſuras, modum verò neceſſitas accipientis mutuò, & avaritia dantis expreſsêre, utrumque per legem *eos 26. Cod. de uſuris*, poſitum, cum juſtum eſſe dicimus, ſe objicit primum communis interpretum ſchola, contendens uſuras cum jure tam naturali, quam divino pugnare, cuius prioris aſſertionis falſitas ex eo patet, quod non eſt abſurdum, quod 1. numus,

numus, etsi res sterilis fructum civilem ferat, ut navis vel domus pensionem, quamvis numi verus usus sit in abusu & usura nunquam separatim à numo constitit, nam per illam consumptionem: exerit virtutem in eo cui applicatur, qua servatur ipsius æstimatio, & aliquid amplius, ut ecce si pro mille aureis comparem domum, eo ipso consumuntur aurei, tamen mihi servatur in domo valor, eamque locando lucrabor insuper 50, quod si naturale sit, eo casu per abusum numi, servare numum, & aliquid amplius lucrari, non erit absurdum, si cuipiam in proprium commodum, facultatem similiter lucrandi & industriam exercendi præstem, eâ conditione ut certi quidpiam mihi tribuat, nec ideo spero lucrum ex ipsius industriâ, sed officio mutuationis quo careo numis, mutuatarius verò lucrum facit, non obstat *l.2.D.de usufructu*

earum

earum rerum &c. & §. *constituitur instit. de usufructu*, nam etsi verus ususfructus in numis non possit constitui, cum fieri debeat salvâ rei substantiâ, potest tamen mutuum, quod proprietatem non reservat, imo *remedio introducto cepit quasi usus fructus haberi* ob numi scilicet utilitatem, quid ergo mirum si pro eâ in mutuo quidquam stipulemur? sanè posito numo poni debuit usura *arg. l. 1. D. de contrah. empt.* nam cum habeo numum quo velles uti, tu autem nihil, quo ego, rerum necessitas urget, ut illud mutuationis officium, quod semper cum interesse conjunctum est, æstimetur, nihil obstat mutuum naturâ suâ gratuitum esse, nam quamvis stipulationibus, eius notissimi termini excedantur, tamen sæpe responsum est naturalem æquitatem non pati, illa pacta contractum mutare *l. publia mævia 26. §. 1. l. quintus 28. D. depositi.*

depositi. Neque moveri quisquam debet autoritate Aristo-
2. telis *lib. 1. polit. cap. 7. Cicer. lib. 2. off. Marci Catonis de re rustica in principio Plutarch. lib. de vitanda usura*, quia non notant usuram ob se ipsam, sed ob id quod ante legitimi modi inventionem, ipsi communiter exstrinsecus aderat, nam ex libidine locupletum re agitatâ: mutuatarii primùm nexu tenebantur, *Livius lib. 6. an placeret fœvore circumventam plebem, ni potius quam sortem solvat, corpus in nervum ac supplicia dare? & gregatim quotidie de foro addictos duci? & repleri vinctis nobiles domus & ubicumque patricius habitet ibi carcerem privatum esse*, etenim quamvis *C. Mario, Cn. Manlio Coss.* propositus modus Livius *lib. 7.* Clarissimus Lipsius *ad Tacitum lib. an. 6.* nunquam tamen rectus, justus, firmus, sed variâ mutatione

tione factâ, crudelis centesima communis habebatur.

CAP. XIX.

An jure divino permissum sit usuras exigere?

SVMMARIA.

1. *Referuntur & explicantur loca veteris testamenti,*
2. *Permissum est jure divino usuras exigere,*
3. *Explicatur dictum Domini,* Lucæ 6, vers. 34.

NON *feneraberis*, inquit Dominus, Deuter. 23. vers.
19. *Fratri tuo ad usuram pecu-* 1.
niam nec fruges nec quamlibet aliam rem: sed alieno, fratri autem tuo absque usurâ, id quo indiget commodabis idem Exod. 22. vers. 25. Levit. 25. vers. 35. Psalm. 15. vers. 5. & 55. vers. 12. Ezech. cap. 18. vers.

18. verſ. 8. 2. Eſdræ 8. verſ. 7. cur alieno? an quia hoſtis erat? non ſanè, nam nullum cum illis erat commercium, quibus indictum bellum, an quia minus malum? neutiquam, quia ſi uſuras exigere crimen foret, adverſus
2. neminem permitti poteſt, Ergo juſtum eſt illas exigere, non tamen à fratre, cuius peculiaris apud Hæbreos erat ratio, quia ex mutuo dantis ſubſtantiâ, numus principalis propriè non procedebat, cum terra promiſſionis quæ peculium & ſolæ eo tempore, Iſraëlitici populi divitiæ, ſingulos attingebat per immediatum Dei munus, ſic enim ait Dominus Deuter. 23. *Nam terra veſtra mea eſt & vos advenæ & coloni mei eſtis*, & iterum, *ego Dominus Deus veſter qui eduxi vos de terrâ Ægypti ut darem vobis terram Chanaan* proinde crudele foret, beneficium imme-

immediatè, & indifferenter cunctis factum, pauperi, & indigo extorquere, eodem respicit Dominus cum ait, *terra quoque non vendetur in perpetuum quia mea est*, sed anno Iubilæi redibat ad possessorem *Levit.25.* per quod tacite prohibitionis ratio demonstratur, nam si mutuum cum usurarum stipulatione consisteret: superior lex sufficienter eluditur, quis enim comparare vellet terram, mox amissurus? si uberiorem proventum ex elocatione numi (quæ producit actionem personalem) posset percipere? quæ quamvis actio septimo quoque anno per remissionem perimebatur *Deuter.15.* tamen sexto debitori condixisset creditor, & ita cum sorte usuras medii temporis consequi, eo etiam refero, quod ait Dominus, *Servus & ancilla sint vobis de nationibus quæ in circuitu vestro sunt &c. fratres autem vestros filios Israël ne*

oppri-

opprimatis per potentiam, in extraneo cessarunt omnia, ut & in nobis cessant explosis umbris, & ratione, quæ tum militabat, licitum est enim nobis, terram in perpetuum alienare, in perpetuum debitoribus nostris creditum condicere, servos Christianos habere, & ita sub usuris legitimis elocare numos,

Potes etiam cum Eximio viro Andreâ Riveto *in cap.* xx. *Exodi* prædictos veteris legis textus de paupere & indigo fratre intelligere, quod verò conceditur usura in extraneum, de divite, est enim verisimile: propter commercia, similes Israëlitico populo se immiscuisse, verba summi Theologi *in tractatu de mutuo & usura* inter cætera hæc sunt, *Omnium enim legum quæ citantur obiectum est proximus indigens*,

Nec

Nec obſtat quod ait Dominus *Luc. 6. verſ. 34. Et ſi mutuum* 3.
dederitis ijs à quibus ſperatis vos recepturos &c. mutuum date nihil inde ſperantes quia non de uſuris, ſed ſorte tractat, quam ſolo benefaciendi affectu, indigenti dari cupit, non quia nos poſtea ſperamus recepturos, cum illud ſit verè benefacere, cuius merces à Deo exſpectatur, ſed ſi mutuatarius nulla neceſſitate preſſus, ſortem cum uſuris commodè reſtituere poſſit, non debet cum mutuò dantis jacturâ locupletari, ſic corruit eorum obiectio, qui dicunt expoſitionem hanc verba Domini non pati, ait enim *mutuum date non donate*, nam qui donavit, nunquam aliquid exigere poteſt, verum qui mutuum dat, retinet actionem, quamvis nihil ſperans, propter accipientis ſcilicet inopiam, qui ſi locu-

 ples

ples postea fiat, ex mutuo unde nihil creditor ante sperabat, conveniri potest, tam ad numos mutuo datos, quam usuras legitimas, quod confirmat ipse Dominus, *Luc. 19. vers. 20. & seqq. & alius venit dicens Domine ecce mina tua quam habui sepositam in sudario, timui enim te &c. quare igitur*, regerit Herus *non dedisti pecuniam meam ad mensam & ego veniens, cum fœnore ipsam exegissem?* Quod si gratiâ mutui, usuras exigere peccatum foret, rectè hic servus excepisset *si non sit honestius in sudario deponere quam agere quod divino jure non licet.*

CAP. XX.

Excutiuntur cæteræ difficultates in Iure Civili super usurarum tractatu,

SVMMARIA.

1. *Intellectus* l.1.Cod. de summa trinit. & Novel.131.cap.1.
2. *Vsurarum* προκαταρκτικοῦ *caussa,*
3. *Annui reditus non aliam, quam usuræ caussam habent,*
4. *Dives nec utens numis suis usuras exigere potest,*
5. *Demonstratur iniquitas communis scholæ super annuis reditibus,*

ANXIAM habet communem scholam Imperatoris Iustiniani *l.1. Cod. de summa trinitate & Novell.131. cap.1.* dum 1.
ait, *Sancimus igitur vicem legum obtinere, sanctas Ecclesiasticas regulas, quæ à sanctis quatuor conci-*

liys expositæ sunt, aut firmatæ, hoc est in Nicænâ &c. at illa vetuit usuras *c. quoniam distinct. 47.* proinde sublatas in totum putat D. Gutierrez *lib. 2. can. quæst. cap. 18. n. 7. & 8.* non tamen alii, qui hæc ineptissimè conciliant, nam qui præbet concilio vim legis, derogat anteriori, concilio contrariæ *l. non est novum 26. D. de legibus*, & probat singulas eius regulas *arg. l. in civile 24. D. de legibus* quod verò concilium dumtaxat loquatur de clericis, leges de laicis, nihil est, si usuras propter mutuum exigere non licet, nam non magis à concilio res mala laicis, quam clericis, permitti potuit, sed quod prohibet solum clericis usuras exigere, evincit rem divino, & naturali jure permissam, aliis licere, cum firmet exceptio regulam in casibus non exceptis, ideo autem Synodus Nicæna vetuit clericis, quia non decebat, divino mancipatos servitio,

tio, crudeli illo commercio implicari, quale fuit, etiam per varias mutationes, ante Justiniani tempora de quo *cap. 18. in fine*, sed postquam per ipsum justissima cum usuris inita fuit ratio *l. eos 26. Cod. de usuris* remanet difficultas num earum προκαταρκτικὴ caussa sit mutua- 2.
tionis officium, an interusuriũ, vel interesse, nam damnato, per communem scholam, Jure Civili, agnoscit compensatorias, 3.
& annuorum redituum venditionem, anne ergo civiles compensatoriæ non sunt? Imo sunt *l. illud. 29. §. 2. D. de ædilit. edicto l. in insulam 42. §. usuras D. solut. matrim. l. nec enim 23. D. de pignorat. action. l. socium 60. in princip. D. pro socio l. si quis 21. §. 1. D. de donat. inter virum & uxorem*, quænam ergo præstantur ob officium mutuationis tantum? nullæ prorsus, nam nullâ ratio-

ne mutuò datio, ſine intereſſe conſiſtere poteſt, cum commoditas utendi pecuniâ, quæ in accipientem mutuo transfertur, ſemper æſtimari poſſit, eâque non frui non parum interſit, & per uſuram compenſandum, quamvis ponatur caſus, quo
4. mutuò dans locuples eſt, neque numis ſuis uteretut, ſi nullus occurreret, qui mutuò acciperet, nam ipſum carere numis, quo commoditas alteri, fit tantum lucrandi, intereſſe eſt, & æquè in divite: neque numos in alium uſum elocante, quàm in alio militat, alioqui ſi nihil ipſius intereſſe putas, rogo quid ipſius interſit, pro locatione alicuius prædii mercedem accipere? At idem eſt in numis, nam divitiæ ipſi intereſſe extrinſecæ ſunt, neque ex illis, aliud quis concludere poteſt, quam quod ob eas, facilius,
quam

quam alius, usuras remittere possit, quod mihi cùm mutuò accipiens pauper est ex lege Christi vehementer placet, non defectu juris, sed ex novâ caussâ, liberalitate scilicet, & benefaciendi voluntate, qua verum interesse, imo & sortem remittit, sed ex hac compensatione 5.
eius quod interest reditus annuos non defendunt Canonistæ, sed ex condictionis abdicatione, malè profectò, nam constitutus reditus, ut experientia docet, semper legitimo pretio quo constitutus est, vendi potest, quæ distrahendi commoditas, condictionem abundè compensat, ut injuria summa censeri debeat, pro eius abdicatione semisses puta usuras exigere.

Cap. XXI.

De Decimis.

SUMMARIA.

1. *Ait Pontifex decimas jure divino clericis deberi,*
2. *Refutatur per Sacram Scripturam, propriamque doctrinam,*
3. *Refutatur* cap. 15. 17. 19. ext. de decimis,
4. *Refutatur* cap. 22. 28. ext. eod.
5. *Refutatur* cap. ad decimas de restit. spoliat. ~~in~~ 6.
6. *Refutatur* cap. si de terra 6. ext. de privilegiis,

1. DECIMAS clero debitum, jure divino patrimonium, asserit Pontifex in *cap. tua. 26. cap. in aliquibus 32. in fine ext. de decimis can decimas can. decimæ can. ult. 16. q. 1.* nam eas Melchisedeco

ſedeco obtulit Abraham *Gen.* *14.* Deo vovit Jacob. *Gen. 26.* qui per Moyſen indifferenter exegit *Exod. 22. Levit. cap. ult.* Dominus confirmat, *Matth. 5. verſ. 20. & 23.*

Ego præceptum veteris legis agnoſco, confirmationem novæ non item, nam ceremoniale cum erat, morte Chriſti vigo- 2.
rem exuit, quod probat decimarum uſus, & finis, *Deut. 14.* quota, locus ſolutioni deſtinatus, ſecundum quæ loquitur Chriſtus qui ſanguine ſuo, omnes patri decimas, exſolvit, factuſque ſacerdos, primitias labiorum, fidemque poſtulat *Apoſt. ad Hæb.* idque ſecundum ordinem Melchiſedeci, cui quamvis Abraham carnales ſolverit decimas *d. Epiſt. cap. 7.* tamen nos non tenemur, cum ſacerdos noſter poſitus ad dextram Dei, meliora petat, Abra-

ham autem solvit decimas, ut monstraret, se nosce sacerdotium regis salem, quod ipsum erat umbra veri sacerdotij Christi, qui proinde suos emittens *Matth. 10.* decimarum non meminit *ne cōparate aurum &c. nam dignus est operarius alimento suo*, neque Paulus *1. ad Corint. 9.* sed victus tantum, quem nemo negat,

Contrarius sibi Pontifex statuit decimas consuetudine posse minui *cap. ad Apostolicæ ext. de decimis* quod ineptum est dicere de iis, quæ Deus exigit, neque jure canonum Pontifici solvuntur decimæ decimarum, quod tamen pars est præcepti divini, secundum quod, levitæ summo sacerdoti eas pendebant *Num. 18.*

3. Absurdiora sunt *cap. ad hæc 15. cap. quamvis 17. cap. prohibemus 19. ext. de decimis* quibus decimæ

cimæ nec retineri, nec possideri, à laicis possunt, quia spirituales, cum tamen cuncta quæ mundus, in usum humani generis comparata, fovet, spiritualibus opponantur *1. ad Corinth. 9.*

Sic *cap. cum homines 7. cap. non est 22. cap. tua nobis 26. cap. pastoralis 28. §. nec pro thesaurando ext. de decimis*, volunt decimas exsolvi, nullis culturæ aut curæ deductis sumptibus, cum id in fructu esse non potest, quod ante expensum & erogatum fuit *l. si non Domino 36. §. fin. D. de petit. heredit. l. fructus 7. D. solut. matrim. l. 1. Cod. de fructibus & lit. expensis*, 4.

Bonifacius 8. *in cap. ad decimas de restit. spoliat. in 6.* repellit Canonicos, jure percipiendi decimas spoliatos à clerico, agentes interdicto recuperandæ possessionis, contra tenorem 5.

juris communis, quo ſpoliatus etiam fur, & prædo, in odium illatæ violentiæ, ante omnia reſtituitur *l. 1. §. dejicitur D. de vi & vi armata cap. licet Epiſ. de præbendis in 6.* ſed hoc admiſſo quis non videt ad nutum laicorum, clericos decimis juſtè poſſe privari? cum peior juris præſumptio, militet adverſus eos, quam poſſidentes hic Canonicos, utpotè qui malâ fide, ſenſum ſacræ paginæ, ad majorem hujus compendii partem torsêre, ideoque nullo tempore potuerunt uſucapere *cap. malæ fidei de Reg. Iuris in 6.*

6. Injuſta conſtitutio *cap. ſi de terra 6. ext. de privilegijs* qua Monaſterium ſolvens decimas annis 30. exemptum alioquin ab earum præſtatione, in poſterum cogitur, cum nulla præſcriptio quadraginaria minor, adverſus ullos clericalis ordinis currat *cap.*

cap. 4. cap. 6. 8. ext. de præſcrip. gloſſa & panorm. in cap. cum accedentibus ext. eod. ne dicas hanc præſcriptionem eſſe favorabilem *arg. l. ſi unus 27. §. pactus verſ. quod ſi non D. de pactis* nam diviſio, cuius *favorabilis præſcriptio*, membrum, cõmentitia eſt, nec ullum in jure fundamentum habet, ſed valeat, nemo tamen præſcriptionem 30. annorum favorabilem dixit, ſed odioſam, in *l. ſi unus §. pactus*, res in priſtinum ſtatum redit, per pactum à legibus probatum, ſed hic eſt mera injuſtitia, nam plenum jus Domino manet, ad ultimum uſque terminum temporis lege definiti, quod annorum 40 eſt, qui potuit ergo Monaſterium annis 30. privari?

FINIS LIBRI PRIMI.

DE JUSTITIA ROMANARUM LEGUM

Liber Secundus.

Caput Primum.

De foro competenti caussarum matrimonialium,

SUMMARIA.

1. *Constitutio Iuris Canonici contraria legibus,*
2. *Matrimonium non est sacramentum,*
3. *Quamvis esset, non tamen pertinet cognitio matrimonialium caussarum ad Ecclesiasticos,*

CANONISTARUM schola, tenore juris invito, iudicem Eccle-

Ecclesiasticum matrimoniali litigio præficit *can. multorum 35.* 1.
q. 6. cap. accedentibus ext. de excess. prælat. panorm. in cap. 1. de consanguin. Covar. de matrim. parte 2. cap. 8. §. 12. n. 1. 3. 10. quia matrimonium novæ legis sacramentum est, *Paul. ad Ephes. cap. 5. vers. 32.* sed in textu est μυστήριον, & quidem magnum, unio 2.
scilicet Christi cum Ecclesia, ut se Paulus explicat, cui matrimonium comparat, ut advertit D. Cardinalis Caietanus *cap. 1. de matrimonio, non habes ex hoc loco prudens lector, à Paulo coniugium esse sacramentum, non enim dicit sacramentum, sed mysterium, hoc magnum est, & verò Mysterium verborum horum magnum est.*

Sed admisso, non concesso, 3.
matrimonium novæ legis sacramentum esse, malè tamen concluditur ipsius caussas, ad

Eccle-

Ecclesiasticam disceptationẽ pertinere, cum, etiam ex doctrinâ canonistarum, sacerdos non est, qui hoc sacramentum administrat, sed ipsi contrahentes, quod si de necessitate sacramenti, non requiritur sacerdos cum celebratur, multo minus in caussis desuper ortis, maximè cum id, quod est sacramenti, aut spiritualitatis, nunquam à partibus, in controversiam judicialem vocetur, sed id vulgò, quo nihil carnalius, aut esse, aut cogitari potest, cujus cognitionem affectare, summè mirum est eos, qui se ab omni fœminino commercio, spiritualium nomine segregant,

CAP. II.

Examinatur cap. 3. extrà de ordine cognitionum.

HEREDITATIS, vel bonorum, petitioni, cum incidit quæstio status, num scilicet actor, vel reus sit filius, quia maior est *l. per minorem 54. D. de judicijs* primo dirimi debet. *l. si quæstio 2. Cod. de ordine judiciorum* etiamsi judex caussæ principaliter motæ, super incidenti alioquin cognoscere nequeat *l. quotiens 3. l. nulli prorsus 10. Cod. de judicijs l. 1. Cod. de ordine judiciorum.* At Pontifici in *cap. 3. ext. de ordine cognitionum* placuit, status quæstionem, ab Ecclesiastico primùm tractari, deinde laicum definire caussam, verba honorij tertij ad Ludovicum Regem Francorum hæc sunt *tuam non credimus latere*

latere prudentiam, caussam natalium Reginæ Cypri ad examen nostrum (utpotè quæ ad forum Ecclesiasticum pertinet) esse delatam: & infra, quia vero antequam natalium caussa terminata esset, dependentem ex illa successionis caussam incipere nihil aliud esset, quam diversis processibus intricare negotium, & confusione quâdam judicij ordinem perturbare, si forte ab ipsâ Reginâ, fueris super hoc requisitus, donec jam dicta caussa natalium Apostolico judicio finem acceperit patienter exspectes,

Penitus absurdè, nam falsum est matrimoniale litigium ad clerum pertinere, neque status quæstio simpliciter matrimonialis est, cum de validitate matrimonii constare possit, non tamen de filiatione, imo quamvis non constet, facilis tamen est perspectionum solennitates à legibus requisitæ intercesserint, de qua tamen nihil judex pronuntiat *l. 1. Cod. de*

ordine

ordine judiciorum, & ita jurisdictionem alterius non turbat, tandem horum tam stricta cohærentia est, ut nulla ratio divelli patiatur, nam pronuntiare non potest laicus, Sempronium Mævio heredē suum esse, si scientiâ propriâ non noverit esse filium, aut id habere, quo posset suus heres existere, sic sibi contrarii Canonistæ faciunt laicum in casu reconventionis judicem clerici, qui cessante reconventione ob id excommunicaretur, *D. Vallensis de mutuis petitionibus* §. *1. n. 3.*

CAP. III.

De nuptiis intra annum luctus contractis.

SVMMARIA.

1. *Refertur jus Civile,*
2. *Refertur sententia Pontificis,*
3. *Egregius Pontificis lapsus,*

4. *Ius*

4. *Ius Civile defenditur.*
5. *Confunditur Pontifex propriâ doctrinâ,*

Exstinctum luget, uxor maritum, 12. continuis mensibus à die mortis, non sci-
1. entiæ *l. genero 8. D. de his qui notantur infamia* intra quod tempus, si ad secundas aspiraverit nuptias, contrahit pudoris labem *l. decreto 15. Cod. ex quibus caussis infamia*, secundo marito plus tertiâ bonorum parte dotis nomine dare non potest *l. 1. Cod. de secundis nuptijs* fit expers hereditatum, legatorum, & eorum, quæ prior ipsi contulit *d. l. 1.* aliisque subjicitur pœnis, de quibus *d. l. 1. 2. auth. ijsdem pœnis tot. tit. Cod. de secundis nuptijs.*

Verum Pontifex hunc juris
2. tenorem respuit, *cap. ult. ext. de secundis nuptijs cum secundum Aposto-*

Apostolum, inquit, *mulier mortuo viro suo: ab eius sit lege soluta & nubendi cui vult, tantum in Domino liberam habeat facultatem: non debet legalis infamiæ sustinere jacturam, quæ licet post viri obitum infra tempus luctus (scilicet unius anni spacium) nubat concessa sibi tamen ab Apostolo utitur potestate, cum in his præsertim sæculares leges non dedignentur sacros Canones imitari,*

Se offert hic primò phrasis vitium, cum falsum sit mulie- 3.
rem infamiæ sustinere jacturam, sed sustinet jacturam famæ, non tamen contra mentem Apostoli nam *ad Roman. cap. 7.* 4.
vers. 3. & 1. ad Corinth. cap. 7. vers. 39. agit de secundi matrimonii justitiâ, quam nulla lex impugnat, sed illud modico suspendit tempore, ne turbatio fieret sanguinis *l. liberorum 11. §. 1. D. de his qui notantur infamia,*

& in-

& incertitudo generationis *l. sancimus 53. in fine Cod. de Episcopis & Clericis* nã viri ſtatim contrahunt *l. 9. D. de his qui notantur infamia*, ut mulier quæ intra legitimũ tempus partũ edidit *d. l. liber*. §. *2.* cuique princeps remiſit tempus *l. ſolet 10. D. eod.* imo etſi nihil remiſſum, mulier tamen de ſecundis nuptiis cogitare, conſentire, ſponſa eſſe poterat *d. l. ſolet* §. *1*. ergo non ſecundo nubentem quatenus talẽ nequidẽ intra luctus annũ mulctat infamiâ lex, ſed quatenus turbantem ſanguinem, incertaſque reddentẽ generationes, quod contigit cum intra luctus annum contrahit, nec ullibi Paulus ſecundas nuptias præcipit, ſed diſcretioni relinquit viduatæ mulieris, quæ cum cogitur ex conſcientiâ parere legibus *Apoſt. ad Rom. 13.* invitanda potius erat, ad implorandam cœleſtem gratiam, quâ temporis modicum, continentur tranſigere poſſet.

Porrò

Porrò sibi contrarius Pontifex, mulieri non solum intra luctus annum, sed simpliciter ad secunda convolanti vota vetuit benedicere, præcepitque benedicentem puniri *cap. 1. ext. de secundis nuptijs. Capellanum*, inquit Alexander tertius, *quem benedictionem cum secundâ constiterit celebrasse ab officio beneficioque suspensum, cum literarum tuarum testimonio, ad sedem Apostolicam, nullatenus destinare postponas* ipsisque contrahentibus pœnitentiam indicere *c. de his 31. q. 1. Presbyterum verò convivio secundarum nuptiarum interesse non debere: maximè cum præcipiatur secundis nuptijs pœnitentiam tribuere: quis erit Presbyter, qui propter convivium illis consentiat nuptijs*, imo secundas nuptias fornicationem vocat & cum Euangelicâ veritate pugnare *can. hac ratione 31. q. 1. hac ratione & Apo-* 5.

& Apostoli præceperunt secundas adire nuptias propter incontinentiam hominum. nam secundam quidem accipere secundum præceptum Apostoli est, secundum veritatis autem rationem verè fornicatio est, sed dum permittente Deo publicè, & licentèr committitur, fit honesta fornicatio, probatur etiam in *cap. unico ext. de cognatione legali*, cognatio legalis, & canon *raptor 33. & can. seq. 27. q. 2.* ſtatuit raptorem alienæ ſponſæ ſine ullius ſpe conjugii manere debere, quæ libertatem nuptiarum aut reſtringunt, aut tollunt,

Cap. IV.

De conditionibus appoſitis matrimonio.

SVMMARIA.

1. *Refertur ius Pontificium.*
2. *Refutatur,*

3. *Oſten-*

3. *Ostenditur per difficillimas Canonistis species, conditiones appositas matrimonio non differre, à conditionibus appositis, contractibus,*

CONDITIONES jure Canonico nuptiis contrariæ, nuptias vitiant, *cap. fin. ext. de* 1.
conditionibus appositis impossibiles, rato matrimonio, pro non adiectis habentur, *d. cap. fin.* ultimarum voluntatum exemplo
l. obtinuit 3. D. de condit. & de- 2.
monstrat. l. 1. D. de condit. instit. §. impossibiles instit. de hered. instit.

Malè judicio meo, nam testamentum est unius & morientis voluntas, cui nihil magis quam libertas debetur, postquam jam aliud velle non habet *l. 1. Cod. de SS. Ecclesiis*, proinde non jocari videtur, aut aliquid adjicere, ad propriam voluntatem impugnandum, sed

matrimonium eſt actus duorum, Græcis γαμικὸν συνάλλαγμα, contractus, ſtipulatio, quæ per impoſſibilem conditionem vitiatur, *l. non ſolum 31. D. de obligat. & action.* requiritque conſenſum omnium quorum intereſt, at qui in eventum conditionis, voluntatem ponunt, non niſi in eo conſentiunt, ſed impoſſibilis eſt: ergo non ſubſiſtit actus, ambo verò ſcientes, & prudentes cum adfuerint, imputent ſibi quod talem condinem adiecerint, poſſuntque ſi velint, conſenſum iterare, ſed teſtator cum ſemel fato ceſſit, voluntatem mutare non poteſt,

3. Porrò nuptiis ſub contrariâ, vel impoſſibili conditione conceptis, adhibitâ ſolennitate publicâ, ex puro novoque conſenſu contractæ videntur, ut ecce, conditio *ſi virgo ſis contraho tecum nuptias* non debet ſanè (quid-

(quidquid dicit communis ſchola) rejici, ſed ſi carnalis intercedat copula, receſſum eſt à conditione, etiamſi ſponſa corrupta fuerit inventa, quia poterat virginitas, aut eius privatio, per obſtetrices aut in arte peritas, honeſtè cognoſci, ſic *ſi digito cœlum attigeris contraho tecum* hic non eſt conſenſus, cum adimpletio conditionis non ſit poſſibilis, at ſi ad trinam denuntiationem in Eccleſiâ, vel curiâ, nuptiarumque ſolennitates, devenêre partes, ex novo, puroque conſenſu, contraxiſſe videntur, ut etiam cum dictum eſt *ſi corpus tuum ad adulterandum proſtitueris* nihil actum videri poteſt, ſed ſolennibus adhibitis, agens talis ex conditione, removebitur, rato manente matrimonio, quia proceſſit ad purum, & ulteriorem actum quam conditio ſalvare poteſt, ſimilis caſus eſt, *contraho tecum nuptias ſi in perpetuâ virginitate mecum*

 vixeris

vixeris hæc conditio propter repugnantiam vitiat actum, sed de more solennitate peractâ, ex novo puroque consensu, cogitur obtrectans pars, ad reddendum conjugale debitum.

CAP. V.

De consensu parentum.

SVMMARIA.

1. *Tam naturali, quam Civili Iure, requiritur consensus patris, in cuius potestate filius est,*
2. *Sententia Canonistarum propoponitur,*
3. *Aliquorum sententia, inter quos D. Hugo Grotius proponitur,*
4. *Vtraque refutatur,*
5. *Ex naturâ est, ut quædam nuptiæ quia consensus patris deficit irritæ sint,*
6. *Intellectus* l. 25. D. de nuptiis,

7. *In-*

7. *Intellectus* l. oratione 16. §. 1. D. de ritu nuptiarum,

8. *Canonistæ propriis argumentis convincuntur,*

9. *Quod in nuptiis honestum, id necessarium est.*

UT filiifamilias Jure Civili Romanorum, legitimas nuptias contrahant, *necesse est ut consensum*, inquit Imperator Justinianus *habeant parentum,* 1.
quorum in potestata sunt. nam hoc fieri debere & civilis & naturalis ratio suadet: in tantum, ut jussus parentis præcedere debeat princip. instit. de nuptiis l. 2. D. de ritu nuptiarum l. unica §. 1. in fine Cod. de raptu virginum l. Paulus 11. *D. de statu hominum,*

Verùm huic doctrinæ, primum adversatur Canonistarum schola, quæ post *can. sufficiat* 2.
27. q. 5. cap. 6. ext. de raptoribus cap. 23. ext. de sponsalibus conten-

 dit,

dit, tantum de honestate, non autem de necessitate requiri; post Concilium vero Tridentinum *Sessione 14. de reform. matrim.* anathemate ferit eos qui in hac parte jus civile probant,

3. Secundò non infimi nominis interpretes, qui contrariis (ut putant) legibus fisi, non eandem necessitatem ex ratione naturali, quam civili cognoscunt, inter quos D. Hugo Grotius *lib. 2. de Iure belli ac pacis cap. 5. n.* x. sic scribit, *Quod autem à Romanis aliisque constitutum est, ut quædam nuptiæ quia consensus patris defecit irritæ sint, non ex naturâ est, sed ex juris conditorum voluntate, nam & eodem jure mater, cui tamen naturaliter liberi reverentiam debent suo dissensu matrimonium irritum non facit: ac ne pater quidem filij emancipati: & si pater ipse sit in patris sui potestate, in filij nuptias & avus*

avus & pater consentire debent: filiæ, avi aucthoritas sufficit. quæ discrimina naturali juri incognita satis ostendunt venire hæc ex Iure Civili,

Sed enimverò *natnralia jura* 4.
quæ apud omnes gentes peræquè observantur: divinâ quadam providentiâ constituta, semper firma atque immutabilia permanent §. sed naturalia 11. *instit. de jure nat. gent. & civ. l. 8. D. de capite minutis* formata tamen in illis, nonnunquam certa species, ex affectione cujusdam circumstantiæ, agentis efficaciori modo eximitur, transponiturque in jus prioribus contrarium, sæpe naturale, sæpe civile, semper æternis cordi nostro insculptis notitiis conveniens, idque per universam jurisprudẽtiam perpetuum est, Ecce, juris naturalis est *non occides*, contrà, juris naturalis est suam suorumque

vitam etiam cum alterius internecione defendere, quod facit, injusta latronis aut hostis aggressio, aliave denique circumstantia, cuius intuitu ipsa natura, privato gladium porrigit, eodem modo ex natura est, ut quædam nuptiæ, quia con-
5. sensus patris deficit, irritæ sint, sed ex affectione circumstantiæ agentis efficaciori ratione, neutiquam matris *arg. l. 20. Cod. de nuptiis*; cum sexus imbecillioris mulier, infirmum & instabile promat judicium, at liberi naturaliter ipsi reverentiam debent? Ergo potest ipsorũ nuptias irritas reddere, sicut pater, inepta consequentia! cum ratione reverentiæ, tantum in liberis, sibi solùm arrogare potest, quantum ipsi permittit natura, secundum quam, imperfecti judicii mulier, summæ potestatis subiectum est incapax,

pax, alioquin, ſi ex reverentiâ quæ par matri debetur, ipſam conſequi facias, parem in liberos poteſtatem, qua ratione mulier erit ſubdita viro? & maius ſi concedas, cum reverentia perpetuò matri debeatur, quomodo per totam liberorum etiam elocatorum in matrimonium vitam, actus quoſvis non poterit irritos reddere? Semper profectò debetur reverentia patri emancipati filii ex lege naturæ, non tamen idcirco irritas poteſt ipſius reddere nuptias *l. filius 25. D. de* 6.
nuptijs cum urgeat boni publici cauſſa, quo magis emancipatorum geſta, in omnibus, plenam ſortiantur firmitatem, ideoque non reverentiam filii, ſed poteſtatem patriam, urgente fortiori jure enervat. Non requiritur conſenſus patris nubentis filiæ, cuius eſt ſuperſtes avus

 l. ora.

7. *l. oratione 16. §. 1. D. de ritu nuptiarum* cum non tanti res agitur cum neptis nubit , ac cum nepos uxorem ducit, non enim patri, aut avo, ſed marito gignit liberos , & tranſiens in eius familiam , propriæ caput & finis eſt ,

8. Canoniſtæ deſciverunt, quoniam ſibi perſuaſum habuerunt, matrimonium novæ legis ſacramentum eſſe , cum innuat conjunctionem Chriſti cum Eccleſiâ *Paul. ad Epheſ. cap. 5. verſ. 32.* non ergo par eſt in re ſpirituali , poteſtatem patriam conſiderare. Sed his admiſſis, non conceſſis , ſequitur patris cõſenſum de neceſſitate requiri, nam matrimonium cum ſit ſacramentum, propter conjunctionem Domini noſtri cum Eccleſiâ , illa verò conjunctio , procul omni dubio perfectiſſima eſt , ergo cum Deo viſum

ſit,

ſit, per viſibile ſignum, hominibus illam exhibere, non poteſt illud aliud eſſe jure humano, quam eſt coniunctio Chriſti cum Eccleſiâ, ſed perfecta jure noſtro, cenſeri coniunctio nequit, in quâ parentum, quorum in poteſtate ſunt liberi, auctoritas contemnitur, quod omnium, quotquot unquam fuerunt gentium, divinâ quadam arte cordibus inſculpta, & ſic expreſſa jura teſtantur. Hanc ſigni convenientiam, cum re ſignificatâ, cum Chriſtus in aliis ſacramentis, rebus itidem ſpiritualibus, obſervaverit, cur in matrimonio contra ſtatuemus?

Tandem ſi conſenſum adhibere ſit honeſtum, erit & neceſſarium, cum honeſtas in conjunctionibus præcipuè ſpectatur *l. ſemper in conjunctionibus 9. 197. D. de Reg. Juris*, & honeſtè

vivere utriusque juris præceptum sit, quod servatu necessarium.

Cap. VI.

De deprehensis in adulterio.

SVMMARIA.

1. *Ius civile refertur,*
2. *Intellectus* l. Gracchus 4. Cod. ad l. Iul. de adult.
3. *Dissentit communis schola,*
4. *Ius civile defenditur,*
5. *Canonistæ peccant,*
6. *Canonistæ sibi contrarij,*

1. Moechum *in adulterio deprehensum necato*, inquit, *lex 12. tab.* post Draconem & Solonem, ut testis Plutarchus in vita Solonis *l. quod ait in princip. D. ad l. Iul. de adulterijs* quam tamen potestatem lex Julia, quæ de adulteriis lata est, aliquatenus restrinxit, pater enim

&

& adulterum, & filiam, uno furore debet occidere, nam si parcit alteri, lege Corneliâ reus est *l. nihil interest 32. in princip. D. ad l. Iuliam. de adult.* debet habere filiam in potestate *l. quod ait lex 23. §. 1. D. eod.* & deprehendere ἐν ἔργῳ domi suæ, generive sui tantum, *d. l. 23. §. 2.* maritus verò non quemcumque, sed vilem, & infamem adulterum interficere potest *l. marito quoque 24. D. eod. quia plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit cæterum mariti calos & impetus facile sævientis refrænandus fuit l. nec in ea 22. §. 4. D. eod.* nisi in suspecto loco post tertiam in scriptis admonitionem cum uxore colloquentem invenerit *auth. si quis Cod. ad. l. Iul. de adult.* filiis id nunquam licuit nam in *l. Gracchus 4. Cod. eodem*, so- 2.
ciorum loco, patri numerio inter-

interficienti præbebant operam,

Hæc tanquam iniusta, displicent Canonistis, communique
3. scholæ, *D. Covarr. de matrim. part. 2. cap. 7. n. 22.* sed immeritò, nam ex adulteriorum frequentia, ad mortem posse procedere legem, sacra docent
4. oracula, *Levit. 20. Deuter. 22. Exod. 20.* quibus Deus, adulteris mortem irrogare præcipit, sed ad hanc pervenit lex, *sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet l. quamvis 30. §. 1. Cod. l. Iul. de adult.* patri maritoque non solum remittit occidentibus pœnam, sed præcipit factum nam *lex 12. tab.* ait, *necato l. Gracchus Cod. eod.* legitimè factum esse *l. marito 24. D. eod. cavetur ut liceat viro deprehensum domi suæ &c. occidere l. nec in ea 22. §. 2. l. patri 20. D. eod. patri datur jus occidendi* neque contra justi-

justitiam, nam si legi liceat, licebit & ei, cui lex mandat, sicuti non peccat carnifex, exequendo judicis sententiam, ita multo minus pater, vel maritus, quibus justissima lex id potius, quam illi concedit, *arg. d.l.22.§.4.* nam etsi velit parcere non potest, pater vel maritus si velint, tunc possunt, hæc non 5.
capientes Canonistæ, dum patrem vel maritum de peccato reum agunt, ipsi in illud ruunt, docentes justas leges contemnere, contra sapientis dictum *Prov. cap. 8. & Apost. ad Rom. cap. 13.* Tandem absurdiores quod 6.
animadvertant in alium, quod ipsi probant, nam constitutum est Iure Canonico, excommunicatum à quolibet occidi posse *Can. excommunicatorum 23. q. 5. non enim eos homicidas arbitramur, quod adversus excommunicatos zelo Catholicè matris*

arden-

ardentes, aliquos eorum trucidasse contigerit,

Cap. VII.

Singularis Intellectus auth. *ex complexu* Cod. de incestis nuptiis.

SUMMARIA.

1. *Interpretes hanc authenticam ut iniustam rejiciunt,*
2. *Substituunt* cap. 5. in fine ext. de eo qui duxit in matrim. &c.
3. *Verbi* ali *&* alimenta *duplex in jure significatio,*
4. *Alimenta civilia, tantum denegantur natis ex damnato coitu,*
5. *Notatur nostrorum egregia cæcitas,*
6. *Intellectus* auth. incestas Cod. eod.

Non

NON est visum interpreti- 1.
bus, dispositionem juris
tolerare, quæ propter nocentis
culpam, innocenti, debita jure
naturæ alimenta denegat, sed
iniquitatis summæ ream egêre,
authenticam *ex complexu Cod.*
de incestis nuptijs sumptam ex
Novell. *89. cap. ult.* cum ita sta-
tuit, *Ex complexu nefario, aut in-*
cesto, seu damnato, liberi nec natu-
rales sunt nominandi, omnis pater-
næ substantiæ indigni beneficio, ut
nec alantur à patre, substituentes
cap. cum haberet 5. in fine ext. de 2.
eo qui duxit in matrim. &c. quod
& communis amplexa praxis,
civilis asperitate juris explosâ,
hosce liberos ita saltem, à pa-
tre, nutrire præcipit, ne per-
eant,

Advertant Interpretes, ver- 3.
bum *ali, alimenta &c.* dupliciter
in jure nostro sumi, primò stric-
tè, deinde civiliter, strictè sine
quibus

quibus vita nequit agi, civiliter, ſine quibus nequit agi, cum certo quodam neceſſario, vel honeſto reſpectu, hujus generis alimenta ſunt, quæ decernuntur liberis naturalibus *Novell. 89. cap. 12. §. 6. paſci vero naturales à legitimis ſancimus* neque ſatis *ut decet eos ſecundum ſubſtantiæ menſuram à bono viro arbitratum*,
4. Hæc dumtaxat denegantur nato ex nefario, inceſto, vel damnato coitu, Quod probo, quia Iuſtinianus in verbis finalibus *d. cap. ult. Novel. 89.* reſpicit quandam Conſtantini legem quæ eſt prima *Cod. de naturalibus liberis* in qua obſervat, ſimilem natum, etiam Conſtantino naturalem non fuiſſe, proinde naturaliũ jure dimoviſſe, quod ſibi placet in jure novo quod conſtituit, nam *iſte*, inquit, *neque naturalis nominatur neque alendus eſt à parentibus* alendus ſcili-

ſcilicet civiliter, ſicut aleretur, ſi naturalis nominari poſſet *d. Novell. 89. cap. 12. §. 6.*

Deinde authentica ait *à Patre* vel ipſa novella *à parentibus*, rectè, nam qui alitur à patre, vel à parentibus, alitur ut filius, cum reſpectu ſcilicet ad patrem, qui vel legitimus, vel naturalis eſt, tertium non noſcimus, ergò cum inhibetur ali à patre, inhibetur ali, vel ut legitimus, vel naturalis filius, & ita civiliter *d. Novella 89. cap. 12. §. 6.* Verùm alimenta ſtrictè ſumpta, alimenta commiſerationis, ſi non filio, ſaltem homini, alimenta naturæ, & quæ non à patre, vel parentibus, & ita ſecundum qualitatem, quam huic creaturæ dare ſcandalum eſt, ſed miſero ne pereat, ex nefario, vel inceſto, vel damnato coitu nato, minimè denegantur, quia hæc negare, necare eſt, *l. necare 4. D. de agnoſcendis vel alendis liberis* at nullibi

leges

leges necare præcipiunt , & partus educatio juris eſt naturalis *l. 1. §. jus naturale D. de juſtit. & jure princip. inſtit. de jure nat. gent. & civ.* quod civilis diſpoſitio tollere nequit, *§. ſed naturalia 11. inſtit. eod.* Id cum in-
5. terpretes, Imperatorem ſciviſſe norunt , & ex altera parte probant, *Novell. 74. cap. 6. l. 1. & auth. licet Cod. de natur. lib.* quibus creatura talis , nihil à patre conſequi poteſt, etiam indirectè, *arg. l. unum ex familia 6. §. 1. D. de leg. 1.* ſed ut ab indigno, defertur ad fiſcum , *l. non intelligitur §. ſi quis palam l. ita fidei 40. D. de jure fiſci l. prædonis 46. D. de petit. heredit. l. in tacitis 103. l. Lucius 123. §. in teſtam. D. de leg. 1.* & quod legibus odio , conſtituitur peiori quam naturalis filius loco, mirandum quod non adverterint, neque violari naturale jus poſſe, neque creaturam

ram hanc nancisci quod naturali filio conceditur, & ita consequens esse ex tenore Juris Civilis Romanorum, quod ex nefario, incesto, seu damnato coitu natus, saltem ali deberet ne pereat,

6. Falleris si putaveris per *authenticam incestas Cod. de incestis nuptijs* patrem non habere bona, & ita natum non ali à patre, sed fisco, ad quem devoluta nam Novella *12. cap. 1.* unde sumpta *d. auth. incestas* tantùm earum nuptiarum facit mentionem, quæ contrariæ sunt naturæ, ut adversus accursium, rectè advertit D. Cuiacius ad dictam Novellam at Novella *89. cap. ult.* etiam de nuptiis civili ratione damnatis, ut patet ex allegatione constitutionis Constantini, quæ nefariorum aut incestorum complexuum non meminit, denique post confiscatio-

de repudijs, aliud d
n possum, quam q
issimis hactenus p
irum hoc vitium n
, aut Compilatorum
in qua vixerunt fuit
& extendi debet ad
e in jure, præcipuè
Codicis, continen-
us rei fidem prodibit
icis, Pontificiæ celsi-
fertor alioquin accer-
Andreas Alciatus qui
gon. *Iuris cap. 20.* post
Canonistarum, ad-
es propositionem, ita
verum ad hæc ego re-
qui Ecclesiæ interpre-
sequitur haudquaquam
meritò posse. cum ergo
duo illa dicta, aliter
tempore Iustiniani in-
, quam postea factum
est quod ei obiici rectè
enim veteres separari ab
homine,

cationem, & bona acquirere, imo ipsam confiscationem, variis modis effugere potest, at nunquam hæc maculosa soboles, honestamenta legum promereri.

Cap. VIII.

De divortio & concubinatu.

SUMMARIA.

1. *Quo sensu Justinianus divortium, & concubinatum admiserit,*
2. *Ius Canonicum admittit concubinatum,*

NON novit veritas, ullum repudii genus, quam quod adulterium pro caussâ habet, *Math. 5. vers. 32.* videtur itaque paululum ab ingenuitate Christianâ deviare *l. consensu 8. l. jubemus 11. similesque textus Cod.*

Cod. & D. de repudijs, aliud ego ſentire non poſſum, quam quod viris graviſſimis hactenus pla- 1.
cuit, nimirum hoc vitium non Juſtiniani, aut Compilatorum, ſed ætatis in qua vixerunt fuiſſe (quod & extendi debet ad aliqua quæ in jure, præcipuè lib. primo Codicis continentur) in cuius rei fidem prodibit unus è multis, Pontificiæ celſitudinis aſſertor alioquin accerrimus; Andreas Alciatus qui *lib. 6. parergon. Iuris cap. 20.* poſt calumniæ Canoniſtarum, adverſus leges propoſitionem, ita loquitur, *verum ad hæc ego reſpondeo, eum qui Eccleſiæ interpretationem ſequitur haudquaquam improbari meritò poſſe. cum ergo Euangelica duo illa dicta, aliter olim, id eſt tempore Iuſtiniani intelligerentur, quam poſtea factum ſit, nihil eſt quod ei obiici rectè poſſit, etenim veteres ſeparari ab homine,*

homine, interpretabantur, qui humanis affectionibus ductus divertebat: secus si ex legitima caussa, quam apud Episcopos provinciales dixerit: & ita in concilio Agathensi cap. 25. declaratur. & idem sensit etiam Divus Ambrosius in primam Pauli ad Corinth. cap. 7. quo loco nuperrimè idem disputavit Erasmus Roterodamus secundum quam interpretationem vixerunt omnes usque ad Iustinianum & aliquanto etiam postea donec placuit Ecclesiæ aliter interpretari & Augustini sententiam sequi, quam ille duobus in pollentium libris tutatur, idque confirmari potest frequenti in veteribus Canonibus, mentione libelli repudii,
2. sicut & concubinatus in *Can. is qui 34. distinct. is qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet à communione non repellatur, tamen ut unius mulieris aut uxoris, aut concubinæ sit coniunctione*

tione contentus, & Canone sequenti *Christiano non dicam plurimas sed nec duas simul habere licitum est, nisi unam tantum aut uxorem; aut certè loco uxoris (si coniux deest) concubinam*, hæcce cum Canonibus contineantur, si cuivis non Canonistis hic datur reprehendendi locus, cum & Pontifex præfixis legibus hodie lupanaria publica permittit, quæ magna fœditate concubinatum antecellunt.

CAP. IX.

De Raptu.

SVMMARIA.

1. *Refertur utrumque jus,*
2. *Pontifex suo juri contrarius,*
3. *Pontifex damnatur à Concilio Tridentino,*
4. *Ius civile confirmatur,*

PROBAT *cap. ult. ext. de raptoribus* matrimonium inter rapto-

rem & raptam ſic enim ait, *ac-*
1. *cedens ad Apoſtolicam ſedem: & infra. rapta puella legitimè contrahet cum raptore ſi prior diſſenſio tranſeat poſtmodum in conſenſum, & quod ante diſplicuit tandem incipiat complacere dummodo ad contrahendum legitimæ ſint perſonæ* contra *l. unicam Cod. de raptor. virgin.* immò ipſum jus Canonicum *can. placuit can. de puellis 36. q. 2.* quibus legum tenor
2. confirmatur, verba Canonis hæc ſunt, *Placuit ut hi, qui rapiunt fœminas, vel furantur aut ſeducunt, eas nullatenus habeant uxores quamvis eis poſtmodum conveniant aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint*, quapropter Tridentina Synodus pudore tacta Pontificis conſtitutionem
3. exploſit *Seſſ. 24. cap. 6. de reform. matrim.* ſtatuitque nullas nuptias, inter raptorem & raptam,

toto

toto tempore , quo in eius eſt poteſtate, contrahi poſſe, Reſtat, quod Iure Civili, nec poſt id tempus inter eos nuptiæ ce- 4.
lebrari queant *d.l. unica Cod. de rap. virgin. Novell. 143. & 150.* quæ pœna juſtiſſima eſt, cum hoſtili more matrimonium ſibi ſtudet coniungere *d.l. unica §.1. in fine* reſque exempli peſſimi ob vim ſpretis legibus factam, iis præcipuè, quarum imbecillitatem, ſeveriori jure protegere par eſt, & turbatam Reipublicæ tranquillitatem, cujus princeps ſtudioſus eſſe debet, *l. nam ſalutem D. de officio præfecti Vigilum*,

Cap. X.

An merum Imperium delegari possit?

SVMMARIA.

1. *Refertur utrumque jus,*
2. *Canonistarum studium reiicitur,*
3. *Intellectus* Clement. 1. §. 1. de hæreticis,
4. *Intellectus* cap. ult. ne Clerici vel Monach. in 6.
5. *Intellectus* cap. in Archiepiscopatu ext. de raptor.
6. *Intellectus* cap. licet de officio vicarii in 6.
7. *Intellectus* cap. ult. ext. de officio ordinarii,

MERUM *est Imperium habere, gladij potestatem ad animadvertendum facinorosos homines quod etiam potestas appellatur l. 3. D. de juris-*

jurisdictione idque delegari non
potest *l. solet 6. in princip. D. de* 1.
*off. procon. & leg. l. nemo potest 70.
D. de Reg. Iuris* nam cum sit res
momenti maximi, electa videtur industria personæ, cui lex,
vel S. C., vel constitutio principis, specialiter tribuit *l. 1. in
princip. D. de off. eius cui mand. est
Jurisd.* dissentit Pontifex in *Clement. 1. §. 1. de hæreticis cap. ult. ne
clerici vel Monachi in 6. cap. licet
de officio vicarij in 6. cap. ult. ext.
de officio judicis ordinarij*, cuius 2.
stoliditas, tantum pudoris, honestioribus paucis incussit, ut
omni conatu, præfatos textus
in aliam torquere sententiam
nixi sint *Decius ad. d. l. 1. Col.
6. Iacobus de Nigris Covarr. &
quidam ab eo citati lib. 3. var. resolut. cap. 20. Menoch. arb. q. 74.
n. 9.* infœliciter judicio meo
textus est apertus in *d. clement.
1. §. 1. de hæreticis*, ubi inter cæ-

 tera

3. tera *verum si Episcopus vel eius Capituli sede vacante delegatus cum inquisitore, aut inquisitor cum altero eorundem, propter præmissa nequeat, aut nolit personaliter convenire, possit Episcopus vel eius seu Capituli, sede vacante delegatus inquisitori, & inquisitor Episcopo vel eius delegato seu sede vacante illi qui ad hoc per capitulum fuerit deputatus super illis committere, vices suas, vel suum significare per literas consilium & consensum.* cui respondetur delegationem ibi fieri favore fidei, sed illud non consistit cum eorundem interpretum doctrina, qui contendunt Episcopum, non posse facultatem conferendi beneficia, committere alteri, quam eius vicario generali *gloss. ult.* quam sequuntur in *cap. statutum de præbendis in 6. cap. deliberatione in verbo cuicumque de officio delegati eod. cum collatio*

latio beneficiorum maximi ſit momenti, & requirat ſædulam ac diligentem prælatorum examinationem & curam ita Covarr. poſt varios *d. lib. 3. cap. 20. n. 6.* quid quæſo in cauſſa hæreſis? in qua ex praxi Pontificia, de homini adimenda vita diſceptatur? quę inquam momenti maximi, cum non agatur de conferendis bonis, ſed inferenda morte, non moribus aut doctrina, ſed abdito inextricabilium Sacræ Paginæ textuum ſenſu, cuius ratione, poſtulat favor fidei, ut Epiſcopus ipſe, non delegatus quidam, de illa cognoſcat,

In *cap. ult. ne Clerici vel Mon. in 6.* cum ait, *Epiſcopus ſeu quicunque alius Prælatus, vel Clericus juriſdictionem obtinens temporalem: ſi homicidio aut alio maleficio ab aliquibus in juriſdictione ſua commiſſo, Ballivo ſuo aut alij cuicunque injungat, ut ſuper hoc veritate-* 4.

ritatem inquirens justitiæ debitum exequatur irregularis censeri non debet: quamvis ipse Ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam sanguinis processerit justitia mediante, nam licet Clericis caussas sanguinis agitare non liceat, eas tamen cum jurisdictionem obtinent temporalem) debent & possunt metu irregularitatis cessante alij delegare, arbitrantur Episcopum, ibi sanguinis delegare caussam, quia de ipsa cognoscere nequit, infero ego: ergo nec merum imperium ipsi competere potest, cum illud sine sanguinis coërcitione expediri nequit *l. 3. D. de jurisdictione* quam cum Episcopus exercere non possit, *cap. Clericis cap. sententiam sanguinis penult. ext. ne clerici vel Monachi.* ergo nec demandare poterit, cum in alium nemo transferre potest, quod ipse non habet *arg. cap. nuper 6. ext.*

ext. de donat. inter virum & uxor. cap. nemo poteſt de Reg. Iuris in 6. l. nemo plus 54. D. de Reg. Iuris ſic Epiſcopus in *cap. in Archiepiſcopatu ext. de raptoribus*, cui cauſ- 5.
ſarum cognitionem commiſerat Siciliæ Rex : de negotio mortis non cognovit, ergo delegavit ? neutiquam, ſed ait textus *vindictam reſerves Regiæ poteſtati*,

Minus valet reſponſio ad 6.
cap. licet de officio vicarij in 6. ideo ſcilicet Epiſcopum delegare cauſſas vicario, quia & ille ordinarius eſt, nam id falſum, imò quamvis verùm, non poteſt ordinarius dici in cauſſis imperii meri, cum ad has Iure Canonico electus ſit Epiſcopus,

Ad *cap. ult. ext. de officio ordi-* 7.
narij, quod ait, *his quibus ex officio in certis caſibus competit illos abſolvere, qui pro violentâ manuum*

iniectione incidunt in Canonem sententiæ promulgatæ, licet alijs huiusmodi absolutionem committere, cum viderint expedire, futiliorem habent responsionem cum dicunt ibi delegationem fieri favore animæ, nam quamvis non solum Deum, sed sacerdotes à peccatis absolvere dicam, restat secundus error, quod nulla reservata sit Pontifici specialis absolutio, nisi in ordine, ad impositionem pœnæ, sed illa non habet communionem cum animâ, quæ tantum aggravatur per culpam.

Cap. XI.

Discutiuntur duæ rescriptorum qualitates.

SVMMARIA.

1. *Clausula* si preces veritate nitantur *subintelligitur Iure Canonico, non Civili,*

2. *Ius*

2. *Ius Canonicum refutatur,*

3. *Non valet rescriptum Jure Canonico, quod in constructionem, aut Latinam linguam peccat, valet Iure Civili,*

4. *Canonicum refutatur,*

5. *Pontifex sibi contrarius, magnam proprij juris partem destruit,*

6. *Intellectus* l. 39. §. 3. D. ad l. Juliam de adult.

CAPITULUM *ex parte 2. ext. de rescriptis* hanc clausulam *si preces veritate nitantur* in rescriptis non requirit, sed subaudit, sic enim Alexander III. inter alia *verùm quoniam non credimus ita præcisè scripsisse, & in huiusmodi literis intelligenda est hæc conditio, etiamsi non apponatur, si preces veritate nitantur* dissentit à *l. universa 7. Cod. de diversis rescriptis* secundum quam, nullum fructum, impetrati oraculi precator percipit, si præfa- 1.

ta clausula, Imperiali beneficio inserta non fuerit, verùm hæc
2. Pontificis constitutio ex contradicendi libidine, aut imprudentiâ potius, quam ratione promanavit, nam nemo nescit obreptionem rescripta vitiare, principem verò ob meritum indulgere, aut alicui sine exemplo subvenire posse, etiamsi precibus obreptio subsit, proinde magno cum partium dispendio, concedentis mens in dubium poterit vocari, cui parti medetur hæc una clausula.
3. Ex diverso si Pontificiale rescriptum in constructione, aut Latinâ linguâ vacillet, non subsistit, *cap. ad audientiam ext. de rescriptis & ibi DD.* secus Iure Romano *l. Imperator 8. D. de statu hominum l. rescripta Cod. de precibus imperat. offer.* cum pror-
4. sus indignum sit imperiale culmen verbis adstringere, de cuius

jus animo ex reſcripti ſententiâ, ſatis conſtat, Enimverò hoc ipſo capitulo (quod mirum eſt 5.
neminem hactenus advertiſſe) Pontifex maximam ſui juris partem evertit, in quâ, & à conſtructione, & Latinæ linguæ puritate deviavit, *cap. 3. ext. de ſent. excom. cap. olim. ext. de injuriis & dam. dato tot. tit. ext. de treugâ & pace cap. conſanguinei ext. de ſententia & re judicat. cap. ad audientiam 13. ext. de præſcrip.* inſuper comeſtiones, banna, placita, forisfacta *tot. tit. ext. de torneamentis cap. 4. ext. de pactis cap. 1. 6. 8. ext. de tranſact. cap. 2. 5. 7. ext. de in integ. reſtit. cap. 6. extra de ijs quæ vi metusve cauſſa & mille ſimilibus tot. tit. ext. de celebrat. miſſarum*, nam quod ait D. Covarr. *lib. 4. var. reſolut. cap. 22.* Papinianum in *l. vim paſſam* 6.
39. §. nupta 3. D. ad l. Iuliam de adult. vocem *miſſa* pro miſſione

(ut

(ut à Pontifice ex communi Canonistarum calculo sumitur) usurpa tam fuisse, merus est error, verba Papiniani ita se habent, *nupta priusquam adulter damnetur, adulterij non postulatur, si nuptias denuntiatio vel ad domum mulieris missa non præcessit* vox enim *missa* adiectivum est vocis *denunciatio*, dictio *vel* ad majorem vim, & expressionem adhibetur, Crassus apud Ciceronem *de oratore 3. hæc tibi est excidenda lingua, qua vel evulsa &c.* quia denuntiatio ad domum fit *l. 12. tab. cui testimonium defuerit, is tertijs diebus, ob portum* (id est domum authore festo) *obvagulatum ito*, & Plautus in Aulul.

Ita me benè amet laverna tu jam nisi reddi
Mihi vasa jubes, pipulo hoc differam te ante ædes.

CAP. XII.

De compromisso.

SVMMARIA.

1. *Refertur constitutio Iuris Canonici,*
2. *Iure veteri ex sententia DD. ex compromisso non fuit actio,*
3. *Semper tamen ad observationem plenæ definitionis ex æquitate naturali,*
4. *Et illo casu compromissum sacramento firmari potest,*
5. *Prima sententia refutatur,*
6. *Verus intellectus* l. 27. §. ult. D. de receptis qui arbitrium,
7. *Singularis interpretatio* l. 5. Cod. de receptis arbitris,
8. *Intellectus* l. 27. §. 2. D. de receptis qui arbitrium,
9. *Secunda sententia refutatur,*
10. *Falsum est quod vulgò creditur compromissum citra stipulationem*

tionem pœnæ, simpliciter initum, nullam actionem producere,

11. *Verissima ratio cur compromissis communiter apponitur pœna,*

12. *Tertia Doctorum sententia refutatur,*

Textus est *in cap. per tuas ext. de arbitris* ubi Innocen-
1. tius tertius (egregius suâ tempestate jurisperitus) inter cætera *super quo frater t. r. quod si ex parte Plebani arbitrium receptum fuerit, indistinctè ratum haberi debet, ac per hoc juxta tenorem mandati app. executioni mandari. si verò receptum non fuerit, refert utrum fuerit, vel non de observando ipsum pœna statuta, & quidem si pœna apposita fuit, agi potest ad pœnam. at si nulla statuta fuerit, sed simpliciter fuit, quod staretur sententiæ compromissum, procurator ad interesse poterit conveniri, quia juramento suo seipsum personaliter,*

naliter, non Ecclesiam poterit obligare, hinc invitâ constitutione Imperatoris Justiniani in *l. cum anteà 5. Cod. de receptis arbitris*
interpretes hactenus unanimo 2.
consensu docuerunt, primùm jure veteri, ex compromisso citra stipulationem pœnæ, simpliciter inito, nullam actionem
fuisse, deinde cum post *d.l.5.* 3.
tantum sub hisce conditionibus, si arbitralis definitio consensu partium amplexa, subscripta, aut decendii silentio confirmata fuerit, sit actio, Ex æquitate naturali, valere jussa Romanorum subtilitate, absolutè præter illos casus semper actionem oriri, tandem invitâ
Novellâ *82. cap. 11. & auth. de* 4.
cernit Cod. de receptis arbitris, ad praxin revocarunt *l. ne in arbitris 4. Cod. eod.* cum statuit compromissũ iniri sacramento posse, & indistinctè servari debere,

Prima

5. Prima Doctorum assertio, ut sine lege, sic ratione ventilatur, quippe libro primo *cap.2. & 3.* probavi totiens, jure Civili Romanorum, tam veteri, quam novo, actionem & exceptionem, ex quacumque conventione honestâ oriri, quotiens inita deliberato animo *l.1.D. de pactis*, sed tale compromissum *l. jurisgentium 7. §. 2. D. de pactis* subest enim caussa, respectus scilicet mutui consensus in arbitrum: propter controversiam quæ subest, *arg. l. in summa 65. §.1. D. de condictione indebiti*
6. textus manifestus in *l. diem 27. §. ult. D. de receptis qui arbitrium*, sic enim Ulpianus *sed si pœna non fuisset adiecta compromisso, sed simpliciter sententiæ stari quis promiserit: incerti adversus eum foret actio*, quæ si non esset, quomodo compromissum ad finiendas lites: ut ad similitudinem

nem judiciorum redactum *l. 1. D. eod.* proprium titulum promereretur? *tot. tit. D. & Cod. de receptis arbitris* neque justum videretur prætoris edictum: quo cogit eos qui susceperunt arbitrium, sententiam dicere *l. 3. §. 1. D. eod.* si cum dixissent pulsata pars vel invita non teneretur,

Altera difficultas tota pendet ab intellectu *l. 5. Cod. de receptis arbitris*, ubi prænotandum, quod communis partium electio: in eum dirigatur finem, ut arbitri sententiæ stetur, cui stare duplici ratione dici possunt, primùm id exsequendo: quod præcisè arbitrali definitione continetur, deinde si adjecta sit compromisso pœna, illam solvendo, *l. 1. & 2. Cod. de receptis arbitris* vel interesse, si pœnæ nullius facta sit mentio, *l. diem 27. §. ult. D. de receptis qui* 7.

arbi-

arbitrium, nam & is propter compromissum, sententiæ stat, qui ut ab eâ (præcisa scilicet & ut ab arbitro lata est) recedat, pœnam vel interesse solvit, cum citra sententiam ad neutrum teneretur, Etenim secundum hanc acceptionem, stare dumtaxat sententiæ tenentur, qui compromittunt, nam amicabilis in virum bonum ab utrâque parte consensus, quo horrida præconis vox, molestum litigium, sportulæque redimuntur, solum exspectat, quod post varias molestias, judicis sententiâ justum compeririretur, nullam læsionem, nullam iniquitatem, quæ cum sint extra partium intentionem, præcisâ definitione, quâ hæc contigerunt, non obligantur, *l. 1. §. 3. D. de pactis* ni illas sententiâ velis sic obligari, ut ab eâ recedere non possint, sine præsta-

præstatione aut pœnæ, aut eius quod intereſt, quo ſenſu dicam illas ſententiæ debere ſtare, ſive æqua ſit ſive iniqua *l.27.§.2.* 8.
D. de receptis qui arbitrium, quia non extra intentionem eſt à controverſia velle diſcedere, negotioque per compromiſſum finem imponi, quod cum per detrectationem partis non contigit, ſuccedit obligatio vel ad pœnam, vel intereſſe, non quod eſt præciſæ definitioni ſtare, cum illa partium intentionem excedat, ſed quod eſt negotium compromiſſo finitum eſſe, Ergo cum dicit textus, *ſin autem pro actore calculus poneretur, nihil ex eo procedere ei præſidij* ſenſus eſt, ad præciſæ obſer- 9.
vantiam definitionis, quod evincit Imperatoris correctio, nam per illam ei ſtandum eſt: ſi conſenſu partium amplexa, ſubſcripta, vel decendii curriculo confir-

confirmata , non vigore consensus in compromissum, cum ubi non est intentio: suppleri per Imperatorem non potest, sed vi secundi amplexus, lapsuve decendii per sacram vigilantiam excogitatis, quibus definitio: iniquitate si quæ subsit cognitâ, ex novo & deliberato animo comprobatur , porrò quamvis certum sit, ante Justiniani constitutionem, tam mutuam atbitralis sententiæ complexionem, quam subscriptionem, ad actionem profuisse, tamen in usu frequenti non erãt, neque decendii præscriptio ullo modo cognita, ut nemo mirari debeat , quod his casibus actio à Justiniani numine promanare dicatur , idque ad id quod arbiter præcisè definierit, verum præter hos casus, ad id quod interest negotium per compromissum finiri, cui nihil obstat

obstat communis interpretum 10.
doctrina, quod compromissum
citra pœnæ stipulationem non
subsistat, nam propter delibe-
ratam in prima amicabili trac-
tatione conventionem, falsa
est, *l. 1. D. de pactis l. 27. §. fin. D.*
de receptis qui arbitrium sed ideò
pleræque leges, pœnæ mimine-
runt, quia vix sine ea initur, &
Prætor specialiter de pecuniâ
compromissâ edixerat, *l. labeo* 11.
3. §. 2. D. eod. & Imperator eam
apponere suadet, *Novell. 82. cap.*
11. sapienter profectò, nam cum
non præstatur id quod inter-
est, præcisæ definitioni stare,
quæ propter defectum consen-
sus, & intentionis, partes non
tenet, sed quod interest, nego-
tium compromisso finitum esse,
idque semper dubium, incer-
tum, intricatum, sæpe nullum,
aut exiguum, per adiectionem
pœnę clarum, certumque quid-
piam

piam apparet, quod judex ſtatuat,

Tandem vindicari conſilium Imperatoris in *Novella 82. cap.* 12. 11. *& auth. decervit Cod. de receptis arbitris* rectè poterit, ſi ſuperiori diſtinctione ſervatâ, memineris utramque partē dumtaxat intendere, quod poſt varias moleſtias, & ſcrupuloſos fori circuitus, juſtum comperiretur, nullam iniquitatem, nullam læſionem, cui cum non conſentiunt, non obligantur *d. l. 1. §. 3. D. de pactis* ergo nec jurejurando, cum id non dicta, non cogitata determinare nequit, verum quia ſtudio pravo: alterutra partium, iniquitatem appellare poſſet, quod præſtiti juriſiurandi tempore non nominaſſet, & ita ſacramenti religio contaminari, prudentiſſimus Imperator compromiſſo vetuit adhibere, eſt ergo cum peri-

periculo conjunctum, nullius necessitatis, & quod defectu consensus, & intentionis absolutæ, plenum robur suscipere nequit,

Corruit non minus Doctorum emendatio per ea quæ *lib. 1. cap. 6. & 7*, verissimè disputavi. ubi præcedenti *cap. 5. circa finem* considerari vellem contra *D. Cuiacium* authenticã *sacram. pub. Cod. si adversus vend.* cum vi jurisiurandi minoribus restitutionem denegat, at quæ lex vi pacti?

CAP. XIII.

Defenduntur *l. item si 17. §. ult. D. de receptis qui arbitrium & l. ult. Cod. de receptis arbitris.*

SVMMARIA.

1. *Iure Civili cum fuerit in tres compromissum duo absente tertio rectè nihil agunt, contrà Iure Canonico,*
2. *Ius Canonicum refutatur,*

 3. *Intel-*

3. *Intellectus* Math. 18. verſ. 20.

4. *Jure Canonico mulier arbitrium rectè ſuſcipit, ſed malè,*

Celsus *libro ſecundo* ut eſt in lege item ſi *17. §. ult. D.*
1. *de receptis qui arbitrium. ſcribit ſi in tres fuerit compromiſſum, ſufficere quidem duorum conſenſum: ſi præſens fuerit & tertius, alioquin abſente eo, licet duo conſentiant: arbitrium non valere, quia in plures fuit compromiſſum, & potuit præſentia eius trahere eos in eius ſententiam*, ſed jure Pontificio duo abſente tertio negotium dirimere poſſunt *cap. 2. de arbitris in ſexto* at quoniam ratio Celſi commodè nequit convelli, diſſenſionis cauſſam petit Pontifex è ſublimi *ut ſic ipſius abſentia præſentia repleta divina eum reputari faciat pro præſente* dixit enim Dominus (inquiunt Canoniſtæ) *Math. 18. verſ.*

verſ.20. Vbi enim ſunt duo vel tres coacti in nomine meo illic ſum in medio eorum inane fundamen- 2.
tum! Loquitur namque Dominus de remiſſione peccati ad preces duorum qui conſentiunt, hic agitur de humanis controverſiis, dixit in nomine 3.
meo, at qui arbitrium ſuſceperunt, principaliter coacti ſunt in nomine litigantium & loquitur de coactis Dominus, non de abſentibus, promittitque ſe adfuturum in medio eorum, non ſuppleturum aliorum abſentias, quæ diverſa ſunt, primum reficit ſanctos animos, alterum, occaſionem præbet, eo prætextu quidvis abſentibus eis qui adeſſe debent ſtatuendi, & bonas evertendi leges, nam compromiſſum eſt in tres, duorum itaque proceſſus eſt extra conventionem, proindeque neminem obligat, Pari 4.

gratiâ subsistit *capit. dilecti 4. ext. de arbitris* quod concedit mulieribus, arbitri functionem, cum *eas oportet esse memores suæ pudicitiæ, & operum quæ eis natura permisit l. ult. Cod. de receptis arbitris* magisque Pontificem juris, nam receptum est ut civilibus officiis mulieres non fungantur *d. l. ult. & l. cum prætor 12. §. 2. in fine D. de judiciis l. 2. D. de Reg. Iuris*, & compromissum ad similitudinem judiciorum redactum est *l. 1. D. de receptis qui arbitrium* confirmat hæc Divus Paulus *1. Corinth. 14. vers. 34. Mulieres vestræ in conventibus sileant nec enim permissum est eis ut loquantur, sed oportet ut subditæ sint, sicut & lex dicit.*

CAP. XIV.

Singularis Interpretatio constitutionis Frederici §.4. unde sumpta auth. *statuimus Cod. de Episcopis & Clericis.*

SVMMARIA.

1. *Non est jurisdictio, quam Civilis,*
2. *Quid in constitutione Frederici* contra constitutiones &c.

EPISCOPUS Jurisdictionem non habet, unde titulus Codicis *de Episcopali audientia*, id est, quadam notione, non jurisdictione, idque volentibus communiter actoribus *l. cum Clericis 25. Cod. de Episcopis* 1.
& Clericis est ergo sola Civilis jurisdictio, nec est quod offendar per jus posterius, ex con-

ſtitutione Frederici §. 4. relatum in *auth. ſtatuimus Cod. de Epiſcopis & Clericis* nam vetat perſonam Eccleſiaſticam *ad judicium ſæculare trahere* , *contra conſtitutiones Imperiales & Canonicas ſanctiones* rectè, nam id quod contra leges fit pro non facto debet reputari *l. 5. Cod. de legibus* eas intelligit, quibus privilegium clero conceſſum fuit ut *auth. Clericus Cod. de Epiſcopis & Clericis. per Civilem procedat judicem obſervatis Clericorum privilegijs nec mora citra talia fiat*, nam lis Clerici bimeſtei ſpatio terminatur *d. Novell. 82.* & reus inventus non punitur *priuſquam per Epiſcopum ſacerdotio ſpolietur d. auth. Clericus* immunis eſt à tutelâ & curâ *l. generaliter 52. Cod. de Epiſcopis & Cle-*
2. *ricis*, & ita porrò. ſed *contra conſtitutiones &c.* non eſt, ut arbitrantur interpretes, contra leges

leges inhibentes, conventionem Clerici, coram judice laico, quia ante illam Frederici constitutionem, tales non fuerunt, neque Canonicæ sanctiones, cum Pontifex alterius jus arripere non potuerit *Apost. ad Rom. cap. 13.*

CAP. XV.

Examinantur *cap. si diligenti 12. & cap. significasti 18. ext. de foro competenti.*

SVMMARIA.

1. *Iure Civili quilibet etiam Clericus suo foro renuntiare potest, Canonico nequidem jurato,*
2. *Ius Canonicum refutatur,*
3. *Absurdè statuitur jure Canonico quod Clericus jurisdictionem etiam Ecclesiasticam, sine consensu Episcopi prorogare non possit,*

1. QUILIBET etiam Clericus i: renuntiare suo foro potest, *l. 29. Cod. de pactis l. 51. Cod. de Episcopis & Clericis Novel. 83.* Iure Canonico nequidem jurato *cap. si diligenti 12.*
2. *ext. de foro competenti*, sed obstat *cap. cum contingat ext. de jurejurando* præcipiens omne jusjurandum servari quod sine dispendio salutis æternæ potest, non urget esse præstitum contra privilegium toti ordini: non soli Clerico, concessum, proinde publicum, cui privatus nihil derogare potest *l. jurisgentium 7. §. si paciscatur D. de pactis cap. cum contingat in fine*, nam omne privilegium quod corpori cuidam datur, in communi datur, cuius renuntiatio particularis, cum recidat in jus quod omnes regit: favorabilis est, neque publicum dici potest: quod nihil minus quam

quam publicum eſt, cum renuntiatio fiat ei, cui id quod Clericus ſimpliciter poteſtati non ſubjacet, ſpeciale, ſingulare eſt, poteſt quidem dici commune inter Clericos, ſed Imperator Clerico contra Clericum non indulſit, tum verò commune jus læderet, ſi privilegium ipſi, non ſoli datum, univerſo clero vellet adimere, Impium ſanè mihi videtur Clericum peierare potius, quam per eum judicari, qui leges ſequitur *l. rẽ non 14. Cod. de judicijs auth. jubemus Cod. eod.* divinitus per ora principum latas *can. quo jure diſt. 8. can nemo* XVI. *q. 3. l. 2. D. de legibus.*

Imo Clericus juriſdictionem, nequidem Eccleſiaſticam (ſi quæ ſit) ſine conſenſu Epiſcopali prorogare poteſt *cap. ſignificaſti ext. de foro competenti* contra *l. 2. D. de judicijs l. 1. Cod. de* 3.

 juriſd.

jurisd. & foro comp. partium enim res agitur[i], cujus sunt Domini, quam mutuo consensu cuivis judicandi potestatem habenti, tradere possunt, cui vel ordinariè, vel propter consensum ex conscientiâ parent, cum judicet authoritate divinâ.

Cap. XVI.

De mutuis petitionibus.

SUMMARIA.

1. *Reconventio locum habet, maximè si non sit locus compensationi,*
2. *Antinomia Juris Canonici,*
3. *Interpretum conciliatio reijcitur,*

Reus videns actoris libellum, subinde comperit, quidpiam sibi ab eodem etiam
1. deberi, ideo mutuam petitionem

nem sive reconventionem instituit, maximè cum locus esse compensationi nequit, idque coram eodem judice *l. si idem 11. §. sed etsi D. de jurisdictione auth. & consequenter Cod. de sentent. & interloc.* quamvis non sit a ctoris, tamen ex æquitate summâ, non dedignari potest eum judicem contra se, quem ipse in agendo secutus est *l. cum Papinianus 14. Cod. de sententiys & interlocut. l. qui non 22. D. de judiciys can. accusatores §. cuius in agendo 3. q. 8.* dissentit *cap. nullus 2. extra de foro com-* 2.
petenti cum similibus, quibus in laicum fulminat anathema Pontifex, qui condemnat vel absolvit Clericum, hanc antinomiam advertit quoque Felinus *ad cap. at si Clerici n. 8. & seqq. ext. de judiciys* respondent quidam, Clericum jurisdictionem laici, nequidem juratò prorogare 3.

posse, sed induci reconventionem à Canone ; At illud ipsum est, quod non consistit, Canon prohibens conventionem, & admittens reconventionem , quæ nihil est, quam conventio ex parte rei , ubi ex parte actoris alia facta fuit, Sapientiores dicunt hic duo favorabilia certare simul, judicium, quod æqualitatem postulat *l. 20. D. de re judicata l. ult. Cod. de fruct. & lit. expens.* & favor Cleri , qui tamen à reconventione superatur, & cedit, hæc responsio quamvis tolerari possit, non tamen de Iure Canonico , quo laicus de caussâ cognoscens Clerici , reiiciendus est ab Ecclesiâ, *cui iniuriam inferre conatur d. cap. 2. ext. de foro competenti* cedat ergo reconventio , potius enim moriendum quam tale crimen perpetrare.

CAP. XVII.

De recusatione Iudicis.

SVMMARIA.

1. *Judex ordinarius ut suspectus removeri penitus Iure Civili non potest,*
2. *Malè dissentit Pontifex,*
3. *Iure Canonico recusationis caussa in libello exprimi, posteaque probari debet, sed ineptè,*
4. *Confunditur Pontifex propriâ doctrinâ.*

ORDINARIUS judex de 1. quo *tot. tit. de jurisdict.* recusari ut suspectus removerique nequit *anth. si verò contigerit Cod. de judiciis* sed ei adjungitur per Novellam *86. cap. 2.* Episcopus, moribus verò quilibet spectatæ probitatis. delegatus de quo *tit. de off. eius cui manda-*

mandata est jurisd. penitus potest, *l. apertissimi 16. Cod. de judiciys* Iure Canonico, omnis indistinctè recusari removerique potest, *cap. secundo requiris 41. §. tertio cap. cum speciali 61. & simil. ext. de appellat.* sed absur-
2. dè, nam præsumi non potest, probatum à Republicâ virum, propriis affectibus regi, sed in merâ versari fraude qui proprio plus defert ingenio, quam sapientiorum qui jurisdictioni præsunt, præsidesve ponunt, attamen si trepida mens de fide sui judicis dubitat, adiungitur probus vir, qui ut ipse judex, pro animi sanctitate, plus salutem suam credi debet amare quam damnum recusantis, quo locupletari non potest, hoc ego jus favorabile dico, cum
* propriam ordinarius jurisdictionem exercet, recusans verò meticulosus rarò, sæpius tergiversator,

versator, judicii protractor, elusor, qua propter civilem constitutionem Imperialis Camera sequitur teste D. Andreâ Gail *1. obs. 33.* At Pontifex in alium 3.
it præceps errorem statuens recusationis caussam in libello exprimi, coramque datis arbitris probari debere, qui non de lite, sed suspicione cognoscent *d. cap. secundo requiris 41. §. 1. cap. cum speciali 61. ext. de appellat.* etenim suspicionis caussa sæpius arcana est, cum inter homines, multa diffidentiæ fomenta soleant suscitari, quorum caussam aut adferre, aut probare nolunt, vel nequeunt, interim judicibus debet esse cordi, ut sine suspicione procedant judicia *d. l. apertissimi l. 47. D. de judiciis* juret ergo secundum glossam *in d. l. apertissimi in verb. libello & ibi DD.* recusans se non calumniandi, aut tergiversandi

versandi animo judicem spernere, sed quod bonâ fide sibi
4. suspectum credat, sed Pontifex se ipsum evertit, nam vult suspicionis caussâ coram superiori, vel arbitris non probatâ, vel probatâ quidem sed quæ sufficiens non est, litem ad recusatum judicem reverti *d. cap. secundo requiris* §. *3. cap. cum speciali juncto cap. 4. ext. de foro competenti* cum jam ille ipse suspicionis tractatus: in sufficientem recusationis caussam excreverir, nam jure optimo offensum sibi recusans metuere debet quem jam ut suspectum sprevit, ut apud hanc, recusationis parvulæ videantur caussæ quas ad 40. congessit Maranta *in spec. aur. p. 6. de appellat. act. 2.*

Cap.

CAP. XVIII.

De Procuratoribus.

SVMMARIA.

1. *Vera conciliatio* l. nec civitatis 74. D. de procurat. cum cap. 1. ext. eod.
2. *Iniquitas* cap. 1. & fin. ext. ne ſede vacante,
3. *Iniquitas* cap. fin. de judiciis in ſexto,
4. *Soli Epiſcopi poteſtate patriâ liberati,*
5. *Infamis Iure Canonico procurator eſſe non poteſt ſed immeritò,*
6. *Intellectus* l, ſi quis 34. Cod. de decurionibus lib. 10.
7. *Excommunicatus Iure Canonico procurator eſſe non poteſt ſed malè,*

PROCURATOREM intelligo, qui mandato Domini rem in judi-

judicium deducit, ideo civitatis actor negotium publicum per procuratorem agere non potest *l. nec civitas 74. D. de procurat.* neque tutor aut curator *l. neque 11. l. nulla 23. Cod. eod.* quia non sunt domini, sed per litiscontestationem fiunt *d. l. ne-*
1. *que l. procuratoribus 22. l. nulla 23. Cod. de procurat.* his nihil obstat *cap. 1. & passim tot. tit. ext. de procurat. cap. olim 12. ext. de restitut. spoliat. cap. cum caussa ext. de juramento calumnia* quibus prælati similesque Clerici procuratorẽ rectè constituunt, quia rerum Ecclesiasticarum proximiores Domini non sunt, nam iis utuntur, fruuntur, ex iis sustentantur, qui Ecclesia dicuntur, & pia caussa, proinde rem propriam administrant, Syndici vero Tutores & Curatores alterius rem agunt, non comparatam in proprium usum

usum & sustentationem,

Sed dissentit Pontifex à *l. si* 2.
defunctus 15. *D.* & *d. l. nulla* 23.
Cod. de procurat. quibus per
mortem constituentis: secun-
dum naturam mandati §. *rectè*
instit. de mandato l. & *quia* 6. *D.*
de jurisdict. procurator censetur
revocatus, si scilicet res sit in-
tegra, at morte prælati: quam-
vis integra desierit esse *cap.* 1.
& *fin. ext. ne sede vacante* sed ini-
quum est partem ludificari per
eos, qui legitimum semel ex-
hibuêre mandatum, judicio-
que contraxêre: quod invitâ
parte rumpi non potest,

Eâdem gratiâ dicit maio- 3.
rem 14. annis in Ecclesiasticis:
& beneficij sui disceptationi-
bus, spretâ potestate patriâ:
vel per se, vel procuratorem,
defendere agereve posse, mi-
norem vero 14. annis à Præla-
to Curatorem ad litem recipe-

re

re *cap. fin. de judiciis in sexto* quod neque jus, neque pietas ferre potest, nam manifestum est, Jure Canonico, minorem 25. annis procuratorem in judicio, 17. verò in cæteris negotiis constitui non posse sic enim Bonifacius octavus *in cap. qui generaliter de procurat. in sexto. licet autem quis post 17. annum procurator ad negotia licitè deputetur: ad judicia tamen nisi maior 25. annorum fuerit, deputari nequibit*, Ridiculum est quod beneficium Ecclesiasticum, spirituale dicatur, ideoque remotum à parentis cognitione: nam Apostolus carnale vocat, cum ait *1. ad Corinth. 9.7. & seqq. si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos vestra carnalia messuerimus?* nec filius meliorem amicum quam patrem invenire potest, cum nullus affectus paternum vincat *l. fin. Cod. de curat.*

curat. furiof. qui pro liberis optimum solet inire consilium *l. nec in ea 22. D. ad l. Iuliam de adult.* propterea legislatores clerum, potestate patriâ non 4.
solverunt, *auth. Presbyteros Cod. de Episcopis & Clericis*, Iustinianus Episcopos solùm *Novell. 81. cap. 3.* præter quos elucere deberet in Clericis, erga parentes pietas, aliis ad exemplum, neque hic casus est quo citra salutis æternæ dispendium parentibus obedire nequeunt, ideo naturâ legibusque quæsitum jus, Pontifex adimere non potest,

Ait Canon *infames 3. q. 7.* in- 5.
fames constitui procuratores non posse quod Iure Romanorum veteri obtinuisse videtur *Paulus lib. 1. tit. 2.* sed ineptum cum explosum §. *ult. instit. de exceptionibus* quia procurator nudam tantum operam: in prosequendâ

quendâ lite navat, sed Advocatus est qui merita caussæ facundè proponit, quapropter indignum factu creditum est: id laudabile munus & Iustitiæ Sacerdotium per infames exerceri *l. 1. §. 5. & 6. D. de postulando* nec ideo litis cura Iure Canonico honoraria est: sed officiosa, non tamen vilis & ab-
6. iecta ut falsò creditur per *l. si quis 34. Cod. de decurionibus lib. 10.* cum illa lex loquatur de procuratore negotiorum, nec absolutè, sed respectu maioris dignitatis, quo casu non solum munera, sed etiam honores omnes, viles & abiecti sunt,
7. Tandem ut toto Iure Canonico repellitur excommunicatus, ab omnibus etiam civilibus muneribus, ita litis curâ, *cap. ult. ext. de procurat. cap. intelleximus ext. de judicijs cap. prudentiam §. sexta extra de officio dele-*

delegati quia fingitur mortuus *can. nemo Epis. 21. q. 3.* qua ratione cum mittit falcem in alienam messem, est enim excommunicatio exclusio à communione spirituali, non politicâ, cuius potestatem Deus Magistratibus, non clero concessit, à Gallorum & Hispanorum Curiis irridetur *Covarr. lib. 1. var. resol. cap. 18. n. 5.*

CAP. XIX.

An ab interlocutoriâ sententiâ possit appellari.

SVMMARIA.

1. *Refertur jus civile distinguens,*
2. *Refertur dissentiens jus Pontificium eiusque ratio,*
3. *Disputatur contra communem scholam appellationem non esse juris naturalis,*
4. *Ratio Juris Civilis,*

5. *Dam-*

5. *Damnatur Pontifex à Concilio Tridentino,*

6. *Convincitur propriâ ratione.*

INTERLOCUTORIA si tale confert gravamen: quod per
1. sententiam super lite totâ ferendam, non rectè possit reparari, jus appellare concessit *l. ante sententiam 2. D. de appellat. recip. vel non l. arbitro 9. D. qui satisdare coguntur*, sin contra, non utique, *l. cum solitum 16. Cod. de sententiis & interlocut. omnium Iudicum l. ante 7. Cod. quorum ap-*
2. *pellat. non recip.* Pontificio jure ab omni interlocutoria, illato, vel inferendo gravamine, statim potest *cap. cum sit Romana §. si verò cap. bonæ memoriæ 51. cap. ut debitus 59. & aliis ext. de appellat*, nam creditur appellatio juris naturalis speciesque defensionis *can. omnis oppressus 2. q. 6. cap. suggestum ext. de appellat.*

& ibi

& ibi DD. proinde nunquam ulli potest negari. Sed falsò, nam appellatio in totum tolli 3.
potest *l. 1. §. interdum D. à quibus appellare non licet cap. 1. ext. de rescriptis cap. pastoralis ext. de appellat. cap. super quæst. §. si vero ext. de officio delegati*, sed quæ sunt juris naturalis non possunt *princip. instit. de jure nat. gent. & civ. & ibi DD.* ut etiam nullo tempore cessare, at sæpè cessat appellatio *l. 1. Cod. ne liceat in una &c. cap. tua nobis ext. de appellat. l. 1. Cod. quorum appellat. cap. cum sit 5. in fine cap. pervenit 13. cap. consulvit 14. ext. de appellat. l. unica §. si autem Cod. de raptu Virginum l. 1. Cod. de falsa moneta l. constitutiones 16. D. de appellat. l. abstinendum 4. l. fin. Cod. quorum appellat. l. fin. Cod. de temp. appellat. l. ab eo 3. Cod. quomodo & quando judex cap. ut inquisitionis de hæreticis in sexto cap.*

tua nobis ext. de decimis, itaque nec defensionis species, nam illa jure naturali omnibus & semper competit, Neque defendit qui appellat, sed agit, ut ab iniquâ sententiâ relevetur, quidem verum est appellationem habere rationem naturalem, sed non ideo juris naturalis est, cum ea quæ legibus contineantur rationem naturalem pro animâ complectantur, sed per adjunctas qualitates in varium, ac varium tenorem terminãtur, in appellatione diver-
4. sæ sunt, *textibus modo citatis* in appellatione ab interlocutoriâ, vana, fraudulosave judicij protractio multum valet, nam judex interlocutoriam pro arbitrio revocare, per definitivam corrigere potest, melius sanè quam judex appellationis, qui tantum super incidenti novissimus sententiam profert nec ideò

ideo meliorem *l. 1. in princip. D. de appellat.* ideo Concilium Trident. *Seſſ. 24. cap. 20. de reformat. & ſeſſ. 13. cap. 1.* pudore tactum explosâ Pontificis emendatione Juri Romanorum adhærere præcepit, 5.

Neque reſiſtere poteris, quamvis appellationem juris naturalis eſſe credas, cum adjuncta qualitas, facti ſpecies in eo formatas, mutat & tranſponit, in aliud jus, priori quidem contrarium, at & ipſum ſæpè naturale, ſæpè civile ſemper æquitati conſentaneum, de qua re dixi latius in argumento ſimili *cap. 5.* hoc eodem libro.

CAP. XX.

In appellationis materiâ quædam Canonicæ constitutiones discutiuntur.

SUMMARIA.

1. *Ridetur Pontifex ab ipsâ Romanâ Curiâ,*
2. *Credentes constitutioni Pontificis à regibus liberisque populis Læsæ Majestatis damnantur,*
3. *Iterum dissentit à Pontifice Romana Curia,*
4. *Mira Pontificis cæcitas notatur,*
5. *Intellectus* l. à Proconsulibus 19, Cod. de appellat.
6. *Jus Canonicum malè damnat in expensas tantum, appellantem perperam,*

IN FOELIX fuit Romanus Præsul in *cap.7.cap. de priore 31. cap. ad*

ad audientiam 34. cap. dilecti 52. ext. de appellat. quibus constituit adversus *l. Imperatores in princip. D. de appellat.* licere pulsatæ parti, relictis mediis Pontificalem cognitionem in- 1.
vocare, nam ipsa Romana Curia id juris, tanquam omnem bonum ordinem invertens, & ex merâ dissentiendi libidine promanans, explosit, neque procedit Canonistarum glossema quo videtur id constituisse Pontifex, ob specialem suæ sedis prærogativam qua fidelium omnium competens est judex *cap. si duobus 7. & ibi DD. ext. de appellat. Concil. Trident. sess. 24. cap. 20. de reformat.* nam cum id falsum sit, totius Christiani orbis reges, liberique populi, Læsæ Majestatis reos agunt: 2.
qui vel immediatè, vel ab ipsorum sententiâ ad Pontificem præsumunt appellare,

Eodem candore defert appellationi rei minimæ, iterum reluctante Romanâ Curiâ, & requirente ut litis æstimatio sit ut minimum coronatorum decem, *Piasec. in praxi Episcop. p. 2. cap. 4. art. 15. n. 8.* Mechliniensi 50. flor. *D. Zypaus de Iure Pontif. novo tit. de appellat. n. 8.*
4. mihi videtur quod Pontifex de industria se voluerit risui propinare, nam hic defert appellationi rei minimæ, suprà, relictis mediis, implorationi Pontificialis auditorij, evocando Belgam, aut Anglum in caussâ aliquorum obolorum, ad urbem Romam, experiundi sui juris gratiâ,

Etiam cum compererat jus Civile mirum in modum appellationem coarctasse, nam si perperàm provocatores cognitoris judicium suspendisse deprehendantur 50. librarum argenti

genti animadversione mulctantur *l. ab executione 5. in fine cod. quorum appellat.* Imo infamiâ si cum appellatio non reciperetur, nihilominus perperam 5.
institerint *l. à Proconsulibus 19. cod. de appellat.* Pontifex in expensas tantum condemnat appellantem, quocumque modo perperàm *cap. reprehensibilis 26.* 6.
ext. de appellat. cap. 1. de elect. in sexto quod præterquam lites foveat, pestem Reipublicæ, eius absurditas vel ex eo redargui potest, quod æquiparet appellantem ei qui nunquam egit, cum tamen judicio cognitoris, ab universâ Republicâ probati percepto, ex libidine detrectandi, cum maximo auctoritatis judiciariæ contemptu, non acquiescit, quam machinationem communi bono exitiosam aliquâ pœnâ vindicare justum & æquum est.

Cap. XXI.

An esuriens panem vel nudus vestimenta subtrahens committat furtum?

SVMMARIA.

1. *Refertur Pontificis, Doctorumque sententia,*
2. *Reprobatur,*
3. *Intellectus* l. 3. D. de Iustitia & Jure,
4. *Quid esurienti vel nudo propter necessitatem concessum sit,*

SI *quis propter necessitatem famis* (verba sunt Pontificis in
1. cap. si quis ext. de furtis) *aut nuditatis, furatus fuerit cibaria, vestem vel pecus pœniteat hebdomadas tres: & si reddiderit non cogatur jejunare*, hæc necessitas parva fuit, nam si magna foret, neque furtum committeretur nec opus

opus pœnitentia ſic *gloſſa & DD. in D. cap. ſi quis D. Covarr. de matrim. parte 2. cap. 6. §. 9. n. 4.* Quod mihi videtur à juſtitiâ 2.
deviare, nam *nemini ignoſcendum eſt qui paupertatis intuitu turpem degit vitam l. palam 43. §. 5. D. de ritu nuptiarum*, & cum hîc ſit frauduloſa contrectatio alterius rei lucri faciendi cauſſa, non video quî furtum dici nequeat §. *1. inſtit. de obligat. quæ ex delicto* maximè cum nulla lex, divina vel humana, egeſtatem meam pro ſufficienti noverit modo, mihi applicandi rem tuam te invito, neque potuit, quis enim in vincula conjectus fur, non facilè jurabit contrectationem urgente neceſſitate factam eſſe? & ita viam communis ſchola reperit impunè furandi, nec ulla neceſſitas tantum poteſt ut peccetur, emori enim ſatius quam

Dei legem conculcare *can. ita ne 32. q. 5.* ſed furari contra legem eſt divinam & humanam,

Nihil urget ratio quæ Doctoribus impoſuit, nam quamvis per neceſſitatem bona alioquin communia, privata facta ſint: eâdemque videantur communia debere fieri, tamen acceſſit legitimum medium, quo urgente neceſſitate, commune bonum diviſionem recepit, ut eſt conſenſus populi aut juſtum bellum, at furtum nunquam juſtum eſt, imo quamvis ipſa neceſſitas bona alioquin privata, communia faceret, tamen fieret injuria ei cui fit furtum, nam cum ipſe bono jure, id quod habet privatim poſſidet, ſine injuriâ ipſi ſoli id extorqueri non poteſt, ad quod omnia bona tenentur, præcipuè cum ipſi nulla per tale furtum datur

datur in eos actio, quibus nihil ſubreptum, ſed implicat abſurditatem, aliquem injuriam facere, non tamen peccare, Nihil moveor per *l. ut vim 3. D. de Justitia & Jure*, quæ homicidium neceſſitate factum probat, nam invaſorem ipſa lex gladio ferit, eumque porrigit invaſo ad injuriam propulſandum, cum cedat minor majori lex, ex justâ vim facientis pœnâ, ſed bono jure quid poſſidere: non eſt cuiquam injuriam facere, 3.

4. Ergo neceſſitatis efficacia deficit in furto, non tamen concupiſcentiæ (quæ alioquin peccatum) quâ ductus miſer: implorabit officium Magiſtratus, aut benevolentiam divitum, nam ideo Deus egeſtatem invexit, ut illorum patientiam, horum munificentiam exploraret, cum inopiâ & afflictionibus premi, an ab irato,

an benigno Deo promanet: fideli ſemper dubium, ſed furari qui Dominum timet, nullâ ratione debet.

CAP. XXII.

An furtum in loco ſacro factum, ſit ſacrilegium?

SVMMARIA.

1. *Non eſt ex ſententiâ Severi & Antonini,*
2. *Diſſentit jus Canonicum cum DD.*
3. *D. Cujacius communem propugnat,*
4. *Diſputatur contrà,*
5. *Reſolutio antinomiæ inter* l.5.D. ad l.Iuliam peculatus & l.aut facta 16.§.locus D.de pœnis.

1. DIVUS *Severus & Antoninus Caſſio feſto reſcripſerunt res privatorum ſi in ædem ſacram depoſita*

positæ subreptæ fuerint furti actionem non sacrilegij esse l.5. D. ad.l. Juliam peculatus , Contrà jus Canonicum, *sed similiter*, inquit, *sacrilegium committitur auferendo* 2.
sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, sive sacrum de non sacro can. quisquis §. similiter 17. q. 4. ubi DD. quam opinionem ex veterum oratorum rationibus acerrimè propugnat D. Cuiacius *lib. 13. obs. cap. 19.* sed malè judicio meo, nam sacrilegium est 3.
publicorum sacrorum compilatio *l. sacrilegi 9. §. 1. D. ad l. Iu-* 4.
liam peculat. non privatæ rei, cum cesset enormitas delicti, quæ ex violatâ religione publicâ caussam sumit, ideo mitior sententia debet amplecti *l. 42. D. de pœnis l. 20. in fine D. de rebus dubijs l. 155. in fine D. de Reg. Juris d. l. sacrilegi 9. §. 1. D. ad legem Iuliam peculatus* , Non obstat quod facta sit injuria privatis,

vatis, & aliis privatarum rerum custodibus, qui semper infidi præsumentur, ni hoc crimen gravius puniatur, nã per omne delictum, præcipuè quod fit in locis sacris, afficitur Deus injuriâ, non ideo tamen in religionis delictum transfertur, alioquin convitium in templo dictum proximo, fieret blasphemia, quod ridiculum, nihil etiam urget alterum, nam id superstitiosum est credere, cum ratione, & exemplo constat, cessante reverentiâ furis, res ibi non melius quam alibi custodiri, quæ tamen irreverentia quamvis esset furto maior, furtum ad se neutiquam trahit, nam hæc necessariò sibi non inhærent, tum verò minus conditionem majoris sequitur, cum sibi mutuo insunt, nec unum sine altero consideratur, hic tantum est extrinseca circum-

cumſtantia, nam facta eſt contrectatio rei privatæ, ſed in templo, quâ ratione theſaurus in loco religioſo inventus, quia per ſe religioſus non eſt, per hoc religioſi conditionem non ſequitur *l. lege Iulia* §. *6. D. ad l. Juliam peculat.*, Imo falſum eſt hanc irreverentiam majorem eſſe furto, nam illud divina & humana lex vindicat, ſed ſuperſtitioſa locorum obſervatio, morte Chriſti ſublata eſt, Non moveor eo quod dicitur dubiam eſſe furis mentem, qui ſi in rem ſacram incidiſſet eam æquè ſubripuiſſet, nam ante contrectationem haudquaquã committitur furtum, ſed illa fuit rei privatæ, peior ergo quam de facto apparet præſumi non debet *cap. dudum ext. de præſumptionibus l. ſemper 56. D. de Regulis Iuris*,

Nihil obſtat *l. aut facta 16.* §. *5.*

locus

locus D. de pœnis, ubi ait Claudius Saturninus quod *locus facit ut idem vel furtum vel ſacrilegium ſit & capite luendum vel minore ſupplicio*, nam caſus legis eſt ubi cum furto violatus fuit locus ſacer, quæ ipſa violatio ſacrilegium eſt *l. 10. & auth. ſeq. Cod. de Epiſcopis & Clericis* dicit ergo Saturninus, ſi effractæ fores, aut aliter ipſe ſacer locus vi affectus, cum res privata in eo poſita ſubriperetur, ſacrilegium eſt, *d. l. 10.* ſin autem non ſit violatus erit furtum *d. l. 5. ad legem Juliam peculatus*, ita locus facit ut idem ſit ſacrilegium vel furtum, hic Intellectus colligitur ex verbo *idem* nam ſi res ſacra, è loco non ſacro ſubripiatur, nullâ ratione furtum dici poteſt, ut ipſe D. Cuiacius cum communi ſcholâ confitetur.

CAP. XXIII.

De purgatione quæ dicitur Canonica.

SVMMARIA.

1. *Hujus purgationis se falsò prædicat auctorem Pontifex.*

ACCUSATOR cum delictum docere nequit, reus
1. (aliquali tamen suspicione laborans) injuncto jurejurando crimen diluit, quam purgationem Canonicam & à jure Canonico inventam jactitat Pontifex cum DD. *tot. tit. ext. de purgatione Canonicâ* sed vanè, Nam & in Romanorum jure eius mentio & usus non infrequens, *Novell. 124. cap. 2. si autem datum aut promissum dicitur suscepisse, quia neque per se neque per aliam personam aut accepit aut promissionem*

nem habuit : & hoc præbito sacramento ipse quidem liber sit : litigator autem &c. ita in *l. eos 26. in verbis finalibus Cod. de usuris* cum arguitur in fraudem legis subiecta persona media, quæ majores usuras stipulare poterat, ait Imperator *in quo casu sacramenti etiam illationem locum habere sancimus* etiam in *l. finali in verbis ultimis Cod. de abolitionibus, In quibus judex non minus accusatorem ad docenda quæ detulit quam reum ad purganda quæ negat, debet urgere,* & ita passim.

FINIS.

INDEX CAPITUM

Rerumque memorabilium

LIBRI PRIMI.

CAPUT I.

De interpretatione legum maximè per extensionem. Fol.1.

CAP. II.

De nudo pacto. 8

Non

CAP. III.

Verus

CAP.

CAP. IV.

De Transactione. 41

CAP. V.

De Iurejurando. 53

CAP. VI.

An Jusiurandum confirmet actum iure non validum? Ibid.

CAP. VII.

Dissentiens ius Canonicum cum communi schola reiicitur. Ibid.

CAP.

CAP. XI.

CAP. XII.

CAP. XIII.

CAP. XIV.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

LIBRI SECUNDI

CAPUT I.

CAP. II.

CAP. III.

CAP. VII.

CAP. VIII.

CAP. IX.

CAP. XV.

CAP. XVI.

CAP. XVII.

CAP. XVIII.

De procuratoribus. 209

CAP. XIX.

An ab interlocutoriâ sententia possit appellari? 215

CAP. XX.

In appellationis materiâ quædam Canonicæ constitutiones discutiuntur. 220

Mira

CAP. XXI.

CAP. XXII.

CAP. XXIII.

FINIS.

ERRATA quæ me ad alia distracto frequentia irrepserunt benevole Lector sic corrige

PAG.7. *lin.6.maretur, p.10.l.11. d pro D. ut etiam p.16.l.18. p.17.l.25.p.19.lin.2.p.22.l.4.p.24.l.6.p.29.l.11.p.18.l.16. nullas p.30.lin.12, moveat, p.38.l.18.dele* nam *p.48.l.18 contractus, p.52.l.13.perimit, p.54.l.5. Matth.&166, &194.p.60.l.22.ingenuus, p.72.lin.3.Cananaeorum. p.84.l.3.inceptam, p.86.l.14.sic pag.90.l.9.purget, p.111.l.21.in p.116.l.11.locupletium 13.fanore, p.124.l.24. Clericos, p.129.l.9.carem.p.132.l.24.quadragenaria, p.142.l.17.luctus, 25.continenter, p.146.l.8.eventu 19 nuptiæ 21. concepta p.149. l.6.potestate p.151.l.2.auctoritas 6.naturalia, p.152.l.21.liberos. p.159.l.18.in alio p.164. l.21.odiosus, p.192.l.5.decernit, p.198.l.16.bimestri.*



